

ACTA & LITERÆ

Ab VIII. Maij ANNI M. DC. XXIV.

usq;

Ad VI. Novemb. ANNI M. DC. XXV.

Inter utriusq; Regni, Sveciæ & Poloniæ, Senatores ac Officiales commutatæ.



Ex Mandato S^æ. R^æ. M^tis, Sveciæ.





Ad Lectorem.

CVm plurima invulgus spargantur, & mentes mortalium ignoratione rerum nostrarum flexibiles præoccupent, referendo cuncta, quæ præterito anno acta sunt inter Reges & Regna Sveciæ ac Poloniæ, in deteriorem partem; Visum est fore è re, nec ingratum tibi, si in publicum ederentur Pacta Conventa suspensorum armorum inter utrumq; Regem & Regna, Anno 1624. inita, quæ ex eo in hunc usq; diem scripta commutata sunt inter Senatores & Officiales utriusq; Regni, in eadem causa, quò ex actis & documentis publicis acuratius perspicias & dijudices, Polonos astu & tergiversatione, lucrando tempori & melioribus occasionibus intentos, non veram justamq; pacem, sed speciem ejus quæsisse; Nosq; tractatuum spe inescatos circumducere, ut majoribus involuerent difficultatibus, statuisse. Lege hæc, benevole lector, & seposito affectu omni dijudica. Nihil enim de nostro addemus, sed ipsa scripta publica, sicuti utrinq; commutata sunt, bona fide tibi exhibebimus, quò liberior sit censura tua; Explicabimus verò illa uberius in posterum, si hæc gratam intellexerimus. Vale.



PACTA CONVENTA A SVETICIS COMMISSARIIS SUBSCRIPTA ET SIGNATA.

NOS Serenissimi atq; potentissimi Principis ac Domini, Domini GUSTAVI ADOLPHI, Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regis, Magni Ducis Finlandiæ, Ducis Esthoniæ & Careliæ, Domini Ingriæ, &c. Commissarii, Jacobus de la Gardie, Comes in Leckœ, Liber Baro in Eckholm, Dominus in Kolcke, Kyde & Runsœ, Eques auratus, S. R. M. Regniq; Sueciæ Senator, Mareschallus, nec non Generalis Exercituum Præfectus, Gubernator civitatis & castri Rigensis, ut & circumjacentium, adhærentiumq; ditionum & territoriorum: Henricus Fleming in Lectis, Ekeby & Iten, Præfectus militiæ Finnonicæ: Adamus Schrapffer in Alpe & Westsunde, Præfectus Rigensis, & Commissarius in Livonia. Notum testatumq; facimus, universis & singulis, quorum interest, aut interesse quomodolibet potest, cum jam antea in congressu Sueticorum & Polonicorum Commissariorum receptum esset, ut novi ab utraq; parte darentur Commissarij, qui cœptum pacis negocium denuò susciperent & peragerent; Nos hisce insistentes, convenimus cum Serenissimi Principis, Domini SIGISMUNDI III. Regis, Regniq; Poloniæ, ac Magni Ducatus Lithuaniæ Commissa-

rijs, Illustribus, Magnificis ac Generosis Dominis, Domino Janussio Skumin Tisckievvict, Palatino Mscislaviensi, Braslaviensi, Jurborcensi, Novovolensi Capitaneo: Domino Gothardo Johanne à Tysenhausen, Castellano Vendensi, Marieburgensi Capitaneo: Domino Nicolao Korff in Kreutzburg, Tribuno Equitum: Domino Samuele Targorascki, Secretario, &c. ad fines Arcis Dalensis, & cum in præsentia de firma pace agi non posset, ne cæpta concordiæ tela expirante armorum cessatione rumperetur, omnisq; spes pacis abjiceretur, secundum eam, quam à S. R. M. Domino nostro clementissimo, obtinemus potestatem ac mandatum, cessationem armorum in primam Junij anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti stylo veteri prorogavimus, his sequentibus conditionibus. Prima: Induciæ inter nos prorogabuntur & prorogantur hisce, inter Principales nostros, Regnaq; Sueciæ ac Poloniæ, interq; provincias, castra & subditos utrisque adhærentes, in dictam diem ultimam Martii, anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti, stylo veteri, promittimusq; serenissimum Regem nostrum, Dn. GUSTAVUM ADOLPHUM, inducias hasce à nobis promissas & constitutas, sanctè & religiosè servaturum, usq; ad exitum diei præscripti. Constitutum autem est inter nos, ne bellum utrinq; prius concitetur, nisi clarigatio duobus ante primam Junii mensibus, nimirùm ultima Martij, stylo veteri, fiat, quâ pars bellum redintegratura, alterius partis Campiduci, per literas publicas ac Tubicinem ritu militari, per apertam diffidationem bellum denunciet. Cæterum, factâ eâ clarigatione, nihilominùs induciæ firmæ erunt usque ad dictam diem primam Junii, stylo veteri, anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti. Quod si verò supradictâ die ultimâ Martii, à neutrâ parte clarigatio, vel publica

publica belli denunciatio legitimè facta fuerit, tunc vi præsentium pactorum hæ ipsæ induciæ, in primam Junii anni sequentis, nimirùm millesimi sexcentesimi vigesimi quarti extensæ & prorogatæ, ijsdem quibus hæ constitutæ sunt conditionibus, sanctè & inviolabiliter observari debent. Secunda: In hac armorum cessatione, cuncta utrinque manebunt in eo statu, in quo nunc sunt, & quæ alterutra pars nunc possidet, ea absq; alterius impedimento, injuriis, incursionibus, apertis vel clandestinis molitionibus, quietè ac pacificè tenebit ac possidebit. Tertia: promittimus ac spondemus, Sacram R. Majestatem, Dominum nostrum clementissimum, usq; in diem præscriptum, nullam bellicam atq; hostilem impressionem, vel apertam vel occultam, terra vel mari, contra Regnum Poloniæ, Magnumq; Ducatum Lithuaniæ, nec non Livoniæ loca, quæ in Regni Poloniæ manu ac possessione consistunt, cæterasq; Provincias, Arces, Civitates, Portus, subditos, vel ex territoriis ac portubus Regni Sueciæ, Magnique Ducatus Finlandiæ & aliarum Provinciarum, vel aliunde facturum. Et si quis concitandæ aliunde contra Regnum Poloniæ, Magnumq; Ducatum Lithuaniæ, ac alias Provincias, hostilitatis apparatus institutus fuerit, is durante hac armorum suspensione similiter inhibebitur. Quarta: ut de stabili pace, vel temporis longioris induciis, effectu meliori, reassumptâ interea temporis commissione pleniori mandato ac facultate tractetur, S. R. M. Domino nostro supplicabimus, eaque de re, si obtinebitur, uti etiam de loco, tempore & comitatu, Illustris Dn. Comes, Exercituum Sueciæ Dux, Illustrem Dominum Palatinum Mscislaviensem quamprimùm certiorem reddet. In omnem tamen casum irritæ commissionis novæ, nihil suspensioni armorum præsenti derogabitur, manebitque in

in suo robore, donec terminus reassumendis armis præfixus advenerit. Si etiam commissio, Deo auxiliante, redintegrata, & inter Commissarios ante dictam diem ultimam Martii, anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti conventum fuerit, extunc, non expectato termino, id quod constitutum erit, sequetur, & executioni tradetur. Quinta: Omnibus Regni Poloniæ Magnique Ducatus Lithuaniæ subditis, cujuscunque nationis & conditionis, libera cum nostratibus conversatio & negociatio, tutaque per Sveciam, Finlandiam, Livoniam, Esthoniam, terrâ mariquè itinera erunt, nullaq; vis & injuria, aut præjudicium in ipsos committetur. Sexta: Injurias, tàm personales quàm reales, sub istam cessationem incidentes, una pars de altera non vindicabit, sed justicia ab Officijs & Magistratibus competenter requiretur, & ab utrinque indilata administrabitur, severæque pœnæ in violatores pacis, fide publicâ roboratæ, exercebuntur. Septima: Captivi qui adhuc detinentur, utrinque sine dilatione & morâ, absque lytro dimittentur. Initam ergo talibus conditionibus ac mediis cessationis armorum prorogationem, authoritate & potestate, quâ in præsentia fungimur, promittimus ac spondemus, à serenissimo Rege nostro, bonâ, sincerâ, & nullatenùs violandâ fide, absque ulla fraude dolove malo, servatum iri, usque ad præfixum diem anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti. Salvo tamen & præcustodito per omnia, & in omnibus Sereniss. Reg. Majest. Domini nostri clementissimi, jure & Dominio legitimo & hæreditario in regno Sueciæ, Magnoque Ducatu Finlandiæ, cæterisque Provinciis, sibi atque serenissimis successoribus suis competente, quatenus eidem, hoc ipso tractatu cessationis armorum, nullum omninò præjudicium fieri, creari que debeat, sed illud totum

tum, peracto finitoque tempore Induciarum, retinendum, defendendumque Ser. Reg. Majest. & serenissimis hæredibus ipsius maneat solennissimè. In quorum fidem præsentes, manibus nostris subscriptas, sigillis nostris roboravimus. Datæ in tentoriis nostris, ad fines arcis Dalensis, die octava Maij, stylo veteri, Anno 1624.

Jacobus de la Gardie Regni
Sveciæ Mareschallus.

Henricus Fleming,
præfectus militiæ
Finnonicæ.

Adamus Schrapffer, Commissarius
in Livonia, & præfectus
Rigensis

II. *Pacta conventa à Polonicis Commissariis subscripta & signata.*

NOs Sacræ Regiæ Majestatis Poloniæ ac Sveciæ, Domini nostri clementissimi, nec non inclytæ Reipub. Regni magniq; Ducatus Lithuaniæ, authoritate Comitiali deputati Commissarij, Janussius Skumin Tisckievvict, Palatinus Msciflaviensis, Braslaviensis, Jurborcensis. Novovolensis Capitaneus; Gothardus Johannes à Tysenhausen, Castellanus Vendensis, Margeburgensis Capitaneus; Nicolaus Korff de Kreutzburgh, Tribunus militum S. R. Majestatis; Samuel Targorascki, Secretarius S. R. Majestatis. Notum testatumq; facimus universis & singulis, quorum interest, aut interesse quomodolibet potest: Cum jam antea in congressu Commissariorum Polonicorum & Sveticorum receptum esset, ut novi ab utraq; parte darentur commissarij, qui cæptum pacis negocium denuò susciperent & peragerent: Nos hisce insistendo convenimus cum Serenissimi Principis Domini Gustavi Adolphi, Regis Sueciæ Commissarijs, Illustri Domino Jacobo de la Gardie, Regni Sveciæ Senatore & Marscalco, Exercituum Duce Generali, & Magnificis, Dn. Henrico Fleming in Lectis & Ekeby, Præfecto Militiæ Finnonicæ, Domino Adamo Schrapfero de Alpe & VVestfund, Commissario in Esthonia; ad fines Arcis Dalensis, & cum in præsentia de firma pace agi non posset, ne cæpta concordiæ tela, expirante armorum cessatione rumperetur, omnisq; spes pacis abijceretur, secundum eam, quam à Serenissimo Rege nostro Regnoq; Poloniæ, ac Magno Ducatu Lithuaniæ obtinemus potestatem ac mandatum, cessationem armorum in primam Junij Anni 1624. constitutam, in ultimam Martij Anni 1625. stylo veteri, prorogavimus, his sequentibus Conditionibus. Prima: Induciæ inter nos prorogabuntur, & prorogantur hisce, inter Principales nostros, Regnaq; Poloniæ & Sveciæ, interq; Provincias, castra & subditos utrisq; adhærentes, in diem dictam ultimam Martij Anni 1625. stylo veteri, promittimusq; Sacram, ac Serenissimam Regiam Majestatem, Sigismundum Tertium, Dominum nostrum Clementissimum, atque ordines Regni Poloniæ Magni q; Ducatus Lithuaniæ jnducias hasce à nobis promissas & constitutas, sanctè & religiosè servaturos, usq; ad exitum diei præscripti. Constitutum autem est inter nos, nè bellum utrinq; prius concitetur, nisi clarigatio duobus ante primam junij Mensibus, nimirum ultima Martij stylo veteri fiat, quâ pars bellum redintegratura alterius partis Campi-duci per literas publicas, ac Tubicinem ritu militari per apertam diffidationem bellum denunciet. Cæterum factâ eâ clarigatione, nihilominus Induciæ firmæ erunt usq; ad dictam diem primam junij, stylo veteri, anni 1625. Quod si vero supra dicta die ultima Martij à neutra parte clarigatio, vel publica belli denunciatio legitimè facta fuerit, tunc uti præsentium pactorum hæ ipsæ induciæ, in primam Junij Anni sequentis, nimirum 1626. ijsdem quibus hæ constitutæ sunt Conditionibus, sanctè & inviolabiliter observari debent. Secunda: in hac armorum cessatione cuncta manebunt in eo statu, in quo nunc sunt, & quæ alterutra pars nunc possidet, ea absque alterius impedimento, injurijs, incursionibus, apertis vel clandestinis molitionibus quietè ac pacificè tenebit & possidebit. Tertia: Promittimus ac spondemus, Serenissimum Regem nostrum, Regnumque Poloniæ, ac Magnum Ducatum Lithuaniæ usq; in diem præscriptum, nullam bellicam atque hostilem impressionem, vel

vel apertam vel occultam terrâ vel mari, contra Regnum Sveciæ, Magnumque Ducatum Finlandiæ, tum quoque Livoniæ loca, quæ Sveticæ potestati nunc parent, nec non cæteras Provincias, Arces, Civitates, Portus, subditos, vel ex territoriis ac portubus Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, vel aliunde facturos. Et si quis concitandæ aliunde contra Regnum Sveciæ hostilitatis apparatus institutus fuerit, is durante hac armorum suspensione similiter inhibebitur. Quarta: ut de stabili pace, vel temporis longioris induciis effectu meliori, reassumptâ interea temporis commissione, pleniori mandato ac facultate tractetur, Serenissi. Reg. Majestati, Domino nostro clementissimo supplicabimus, eaque de re, si obtinebitur, ut etiam de loco, tempore & comitatu Illustris Dominus Palatinus Msciſlaviensis, Illustrem Dominum Comitem, Sveciæ Exercituum Ducem, quamprimùm certiorem reddet. In omnem tamen casum irritæ commissionis nostræ, nihil suspensioni armorum præsenti derogabitur, manebitque in suo robore, donec terminus reassumendis armis præfixus advenerit. Si etiam commissio Deo auxiliante redintegrata, & inter commissarios ante dictam diem ultimam Martij anni 1625. conventum fuerit, extunc non expectato termino, id quod constitutum erit, sequetur & executioni tradetur. Quinta: omnibus Regni Sveciæ subditis, cujuscunque nationis ac conditionis, libera cum nostratibus conversatio & negociatio, tutaque per Regnum Poloniæ, Magnum ducatum Lithuaniæ, Livoniam, Curlandiam, terrâ marique itinera erunt, nullaque vis & injuria aut præjudicium in ipsos committetur. Sexta: injurias, tàm personales quàm reales, sub istam cessatione incidentes, una pars de altera non vindicabit, sed justicia ab officijs & magistratibus competenter

ter requiretur, eaq; indilata ab utrinq; administrabitur, severæ pœnæ in violatores pacis, fide publicâ roboratæ, exercebuntur. Septima: Captivi qui adhuc detinentur, utrinque sine dilatione & mora, absque lytro dimittantur. Initam ergò talibus conditionibus & medijs cessationis armorum prorogationem, authoritate & potestate, qua in præsentia fungimur, promittimus ac spondemus, à Serenissimo Rege nostro, Regnoque Poloniæ, ac Magno Ducatu Lithuaniæ, bonâ, sincerâ, & nullatenus violandâ fide, absque ulla fraude dolove malo servatum iri, usq; ad præfixum diem Anni 1625. Salvo tamen & præcustodito per omnia & in omnibus, jure Sacræ Regiæ Majestatis hæreditario ad Regnum Sveciæ, Magnumque Ducatum Finlandiæ, sibi atque serenissimis successoribus suis competente, quatenus juri Regio legitimo nullum hac transactione præjudicium fieri crearique debeat sed illud totum, peracto finitoque tempore induciarum aggrediendum, sibique vindicandum S. R. Majestati, & Serenissimis hæredibus ipsius pateat, maneatq; solennissimè. In quorum fidem præsentes manibus nostris subscriptas, sigillis nostris roboravimus. Dabantur in tentorijs nostris ad fines Arcis Dalensis, die octava Maij, stylo veteri, Anno Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Quarto.

Janussius Skumin Tisckiewicz, Palatinus Msciſlaviensis.	Gothardus Johannes à Tysenhausen, Castellanus vendensis.
Nicolaus Korff, Obrister.	Samuel Targorascki, S.R. Majest. Secretarius.

III.

Literæ S. R. Majestatis ad Campiducem Magni Ducatus Lithuaniæ, illustrissimum Ducem Christophorum Ratzevilium.



Vstavus Adolphus, Dei gratiâ, Svecorum, Gothorum & Vandalorum Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Estoniæ & Careliæ, nec non Ingriæ Dominus.

Illustrißime Princeps, Summum nostrum cum Patruele nostro Rege Poloniæ, tollendi controversias, ac cum totâ Repub: Vestra ineundæ colendæq; pacis studium, multis jam ab initio Regni nostri testati sumus. Atq; utinam aliqua saltem Regi vestro ejus cura ac cupido inesset, neq; hæc duo Regna tantopere laborarent, & qui sanguis Christianus utrinque profusus est, facilè sisti, neué fundatur in posterum, præcaveri posset. Obtulimus pacem ac amicitiam, quocunq; statu rerum nostrarum, sive fortuna nobis adversaretur, sive adblandiretur, ac felicia quæq; promitteret: Et incerti exitus, nullisq; firmis fundamentis subnixum tractatum pacis, bene gerendæ rei sæpius oblatis occasionibus prætulimus, haud moti, quod nec Commissarij Reipub. vestræ justam, ac tanto negocio condignam haberent agendi potestatem, neq; Nos exinde frueremur decente securitate. Deposuimus, ut nostis, arma ad Mitaviam: paßi sumus cessationem illam iterum ad Ogram prorogari. Quo facto, etsi nihil vel tranquillitatis, vel securitatis nobis Regnoq; nostro accesßit, atq; hoc anno summos ob nostri defensionem sumptus fecimus: tamen his omnibus contemtis ac remotis obstaculis, jußimus Generalem Exercitus nostri Ducem, ejusq; Collegas, Commissarios nostros, denovo Inducias proferre ac firmare; tum quod id velle Remp. vestram intelligeremus, tum ne gentibus hisce tantoperé expetitam tranquillitatem denegaremus, nevè ad eam perveniendi spem omnem, dum à vobis sustentaretur, præcideremus. Qui cuncta justâ lance ponderat, atq; animo non affecto ad rem accedit, nullam ejus aliam caussam, quàm amorem pacis nostrum esse deprehendet. Vos quoq; & plurimos alios egregios Reipub: Polonæ Cives eodem ferri studio, conficiundæ inter Nos ac Patruelem nostrum, atq; hæc duo Regna, pacis, ex Commissarijs nostris cognovimus; gratumq; nobis erit, si vos alijvè in eo operæ quid posueritis, tametsi ob quorundam hominum odium adversum Nos irreconciliabile, negocium id ad exitum perduci nequeat optatum: Gratius verò si opera vestra, pax ac tranquillitas diu multumq; expetita reddi tandem hisce Regnis posßit. At verò totius negotij cardo in eo nunc vertitur, ut durante hac armorum cessatione,

nullo alio fine toties prorogatâ, justus tandem tractatus conficiundæ amicitiæ suscipiatur: utq; Commissarij vestri, justâ, plenâ, ac decente Regis vestri ac Reipub. potestate agendi concludendiq; firmati accedant: neq; uti hactenus tantum negocium tàm negligenter, ac veluti obiter agant: Aliàs nisi illis absoluta à Rege vestro ac Ordinibus Regni Polon: Magniq; Ducatus Lithuaniæ data potestas fuerit, nullis vel rerum vel verborum ambiguitatibus involuta, vel adjunctis clausulis infirmata, vel nominis nostri contumeliâ aspersâ: ac nisi Commissarij vestri de transigendis sopiendisq; dissidijs nostris plenè fuerint informati, non erit nobis difficilè judicare, nihil nobiscum ex parte Regis vestri sincerè agi: ideoq; si nos Regnum nostrum ista rerum incertitudine diutius teneri ac involvi passi non fuerimus, Deo speramus Nos æquè ac bonis omnibus, judicio non affectis, fore excusatos. Pacem enim & tranquillitatem exoptamus, sed justam, decentem ac securam; nec media alia admittemus, nisi per quæ ad talem deveniri possit. Si quâ aliâ viâ ex parte Regis vestri insistitur, haud putamus eam vobis, nedum Nobis, adprobare posse. Vestrum nunc erit studio omni eniti, ut captum hoc salutare negocium justo modo ac sine morâ, priusquam hæ annuæ Induciæ exierint, perducatur ad bonum finem, unde & hisce Regnis gratissima tranquillitas & vobis,

vobis, atq; omnibus in eo laborantibus, perpetua nominis gloria consequetur. Vobis enim significare mentem nostram placuit, quod & nostro jussu primum vobiscum eâ de re agi captum sit; & quod credamus, vos à studio pacis non esse alienos. Hisce Vos Deo Optimo Max: commendamus. Dabantur ex Arce Nostrâ Regiâ Stockholmensi, die 2. Augusti, Anno. 1624.

Gustavus Adolphus.

Illustriss: Principi ac Domino Christophoro
Radzeuil, Duci Birzarum & Dubinc:
S. R. Imp: Principi, Exercituumq;
M. D. Lith. Duci Campestri.

IV.

Literæ Senatorum Regni Sveciæ, ad Senatores Regni Poloniæ & magni Ducatus Lithuaniæ.

NOs inclyti Regni Sueciæ Senatores, Reverendissimis, Illustrissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis ac Generosis Dominis Senatoribus Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ, Vicinis ac amicis nostris, Salutem.

Dati jam aliquoties fuêre utrinq; Commissarij, qui bellū hoc diuturnum, quo sunt duo hæc inclyta Regna, Sueciæ ac Poloniæ, multa cum sanguinis Christiani profusione conquassata, tollerent, atq; almam pacem & tranquillitatem restituerent, sed non eo eventu, quem boni omnes expetunt. S: R. Majestas, Dominus noster clementissimus, multis modis testatus est summum amorem ac studium sopiendi controversias omnes, & cum Serenissimo Rege vestro atq; ipsa Republicâ exortas, & amicitiam pristinam revocandi, cujus edita sunt tàm illustria indicia, si quis cuncta animo non affecto ponderaverit, ut negari etiam ab hoste nequeant. De ijs, quæ anteactis temporibus oblata sunt, ac de quibus sæpius ante hac perscriptum est, nihil dicemus. Hoc tantum præterire non possumus, ita moderaté S. R. Majestatem utrâq; suâ, & inprimis adspirante fortunâ usam esse, ut quicquid ea dederit, non ad persequendam oblatam victoriæ spem, sed ad pacis studium, à quo Respub. vestra non videbatur aliena, converterit. Misit S. R. Majestas suos Commissarios ternis vicibus, cum plena potestate agendi concludendiq; cum plena de omnibus informatione. In primo congressu ad Ogram, præter omnem expectationem Commissarij vestri nullam poterant potestatem monstrare à Rege vestro, qui cum Nobis summa lis & controversia, & unde ipsa origo belli. Et quam habebant à paucis Senatoribus, tanto negocio insufficiens erat, multisq; vitijs referta. In secundo congressu, loco potestatis offerebatur quædan Constitutio impressa comitialis. In tertio nupero, nihilo erat Ordinum potestas firmior prioribus, sed ijsdem atq; etiam majoribus obnoxia vitijs. Et quæ erant adjectæ Serenissimi Regis Vestri tabulæ procuratoriæ, præter injurias, Verborum æquivocationes, & juris sui prætensi amplas reservationes, nihil in se continebant, quod non magis S. R. Majestatem, Dominum nostrum, à pacis tractatu deterrere atq; abstrahere, quam istuc permovere posset. Isthæc tamen hactenus, & subsecuta induciarum incertitudo, hostilesq; apparatus ac molimina, tam in Borussia ac portu Dantiscano, quam apud exteros agitata, non habuerunt tantam vim, ut infringere quiverint in Rege nostro pacis studium, aut impedire, quo minus, licet omnia, factis jam sumptibus maximis, apud nos essent paratissima, Induciarum prorogatio fieret in annum, cum S. R. Maj. Rempubl.q; Vestram id velle intelligeret, ac spem conciperet fore, ut consilio ac hortatu Dominat: Vestrarum cæterorumq; Ordinum Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lith: Rex vester in justum pacis ac tranquillitatis tractatum descenderet, atq; de tollendo dissidio, ejusq; causis tandem cogitaret. Quod si Dominat. Vestræ atq; cæteri Ordines eò Regem suum permouerint, benè de Ecclesia atq; hisce Regnis merebuntur: Si nihil obtinuerint, reddet is Deo rationem omnis sanguinis Christiani profusi, & qui necessariò profundetur in posterum justæ defensionis nostræ causâ. Eam tamen esse propensionem Vestram, Reiq; publi-

publicæ vestræ in publicam tranquillitatem & autoritatem apud Regem vestrum credimus, ut negocium hoc adeò salutare, & velitis curatum, & promovere possitis.

Ut autem Dominat. vestræ cognoscant, quo animo pacem exoptemus, significare id operæ præcium duximus, Nos quidem tranquillitatem atq; amicitiam exoptare, sed non nisi justam, securam ac decentem. Ideoq; ut certi simus, id quod per Commissarios vestros agetur ac concludetur, Regem vestrum ac Rempub. ratum habituros, dari illis necesse est ab utroq; & Rege vestro & Repub. talem potestatem agendi statuendique absolutam, nec exceptionibus aut reservationibus infirmatam, aut contumelijs alijsve acerbitatibus aspersam, quæ subsistere in tanto conficiendo inter Reges & Regna negocio possit, ac utranque partem certam reddere cuncta quæ promittentur, eventum puplicæ fidei respondentem habitura, ut tractatus inter Reges nostros (expressis eorum nominibus ac dignitatibus) atq; Regna instituatur, ne is ad lusum magis, aut temporis lucrum, quam ad veram amicitiam comparandam quæsitus esse videatur. Hæc veluti futuræ negotiationis necessaria requisita, ac sine quibus frustrà tentabitur hoc tantum negocium, si Dominat. vestris placuerint, idq; nobis tempestivé fuerit significatum, dabimus operam apud S. R. Majestatem, Dominum nostrum Clementiss: ut Commissarij ex hac parte cum justa potestate ac plena informatione omnium eorum, quæ controvertuntur, ablegentur in Livoniam, qui cum vestratibus congressi futura hyeme, ante induciarum exitum, studio omni enitantur tollere hoc belli incendium, ac ne id in posterum exardescat, præcavere. Quantum valemus consilio apud Sereniss: Regem nostrum, id totum lubentes tranquillitati gentium dabimus. Ac quicunque tandem exitus rerum futurus est, id & Dominat. vestris & Orbi innotescet, pacis nos & tranquillitatis justæ ac decentis semper studiosissimos fuisse. Dabantur in Arce Stockholmensi, die 2. Augusti, Anno 1624.

Magnus Comes in Wisingburg, R. S. Archidapifer.
Carolus Gyldenhielm L. B. in Berquara R. S. Ammiralius.
Gabriel Oxenstierna L. B. in Móreby & Lindholm. R. S. Consiliarius.
Gabriel Oxenst: L. B. in Kimitho & Tóresió R. S. Consiliarius.
Abraham Comes in Wisingburg.
Axelius Oxenstierna R. S. Cancellarius.
Johannes Skytte L.B. in Dudecoff, Eques Auratus.
Suante Banner, R. Sueciæ Consiliarius.

Reverendißimis, Illustrißimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis ac Generosis Dominis Senatoribus Regni Poloniæ, Mag: Duc: Lithuaniæ, Vicinis ac amicis nostris.

C   5. Lite-

V.

Literæ Senatorum Regni Sueciæ, ad Senatores & ordines magni Ducatus Lithuaniæ.

NOs inclyti Regni Sueciæ Senatores, Reverendissimis, Illustrissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis ac Generosis Dominis Senatoribus atq; Ordinibus Magni Ducatus Lithuaniæ, Vicinis atq; amicis nostris, Salutem.

Compertum his annis est, par nobis studium atque æmulum certamen fuisse obtinendæ inter Serenissimos Reges nostros, atque hæc duo inclyta Regna, Sueciæ & Poloniæ, pacis & tranquillitatis: Cujus laudes, sicuti nobis præripi non patiemur, ita, quæ debentur vobis, haud præcidendas putamus. Intellectum enim nobis est, Dominat. vestras in proximis Comitijs Varsaviensibus vestris causam hanc studiosé egisse, idque causæ fuit, quod S. R. Majestas, Dominus noster Clementissimus, suis Commissarijs potestatem dederit, inducias in annum prorogandi, non quod sibi ac Regno suo satis prospectum putaret, sed ne vestrum studium huc collocatum frustra caderet, utque facilius daretur brevi ipsam capitalem controversiam, remotis ambagibus atq; obstaculis quibuscunque, tandem cum gentium quiete finiendi. Recté quidem in eo Dominat. vestræ operam suam collocant, cum non ipsi minus quam nos incendio propinqui simus; atque id, si exarserit, primùm ipsos atque partem aliquam nostratium rapturum sit, ut ea taceamus mala, quæ utrinque hactenus bello tam diuturno perpessi sumus. Unde factum quòd eorum malorum sensus in nobis utrisque acrius & vehementius in pacem studium, quàm in cæteris,

ris, qui procul positi, & extra metum incommoda hujus belli non nisi auditu persentiscunt. Hortati quidem sumus Dominos Senatores Regni Poloniæ, æque atque Dominat. vestras, literis ad vos utrosque perscriptis, ut ex adjuncto literarum exemplari videre poteritis. Verùm cum credibile sit, vestram majorem esse, certis de causis, inclinationem, hæ nostræ literæ pro stimulo sunto. Non commendabimus aut amplificabimus studium nostrum pacis: testantur id toties prorogatæ inter nos induciæ, quæ nos tamen quietis parum securos hactenus reddiderunt, ob hominum quorundam malé feriatorum audaciam. Idem ex eo patet, quòd cùm ad famam maximi apparatus bellici Regis vestri, adversum nos domi forisque instituti, S. R. Majestas, defendendi sui, hostiliaque arma propulsandi causâ graves sumptus fecisset, tamen eos tolerare, ac sine fructû ullo abire maluerit, quam oblatis occasionibus utendo, cæptum de pace tractatum interverteret aut impediret, cùm tamen S. R Majestati ipsius ac Regno Sueciæ istâ pacis negociatione nullo modo caveretur. Quandoquidem verò isthæc incertitudo vestræ Reipub. forsan parum prodest, nobis verò maximoperé nocet, certé versari in ea diutius non est é re nostrâ. Ideoque Dominat. vestras non hortari non possumus, dent operam, ut si amicitiam ac tranquillitatem esse ex usu tàm suo, quam nostro judicaverint, tractatus novus quamprimàm instituatur, ac Commissarij vestri justâ modisque omnibus absolutâ potestate ac instructione, tam Regis quam Reipub. firmati accedant: neve illa adjectis clausulis, reservationibus, vocum æquivocatione ac ambiguitate, contumelijs aut verborum acerbitatibus adulteretur atq; inutilis reddatur, sed negocij magnitudini accommodata spem boni eventus

 non

non præcidat, ſed promoveat. Si enim candidè & ex fide nobiſcum agi intellexerimus, tantò erimus paratiores; ſin minus, id quod eventurum eſt mali, oſoribus pacis ac tranquillitatis meritò adſcribatur. De Veſtris Dominat. verò optima quæque ſperamus; ideoq; non tam habitâ ratione dignitatis noſtræ atque Regni, quam quietis publicæ, hæc primi ad vos ſcribere voluimus, rogantes, ut quid animi vobit ſit, eodem candore ad nos ſine mora perſcribatis. Hiſce Dominat. Veſtras Deo Commendamus. Dabantur in Arce Stokholmenſi, Die 2. Auguſti, Anno 1624.

Magnus Comes in Wiſingburg R. S. Archidapifer.
Carolus Gyldenhielm L.B. in Berquara, R.S. Ammiralius.
Gabriel Oxenſtierna L. Baro in Mörby & Lindholm, R. S. Conſiliarius.
Gabriel Oxenſtierna, L. Baro in Kimitho & Töreſiö, R. S. Conſiliarius.
Abraham Comes in Wiſingburg.
Axelius Oxenſtierna R. S. Cancellarius.
Johannes Skytte L. Baro in Duderoff, Eq. Auratus.
Snantho Banner R. Sueciæ Conſiliarius.

Reverendiſsimis, Illuſtriſsimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis ac Generoſis Dominis Senatoribus atq; Ordinibus Mag. Ducatus Lithuaniæ, Vicinis & amicis noſtris.

Prima

VI.

Prima Reſponſio Senatorum Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ ad Senatores Regni Sveciæ, ante comitia.

NOs Inclyti Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ, Senatores infraſcripti, Illuſtriſſimis, Illuſtribus, Magnificis ac Generoſis D. D. Senatoribus Regni Sueciæ, Vicinis & amicis noſtris, Salutem.

Redditæ ſunt nobis literæ Dominat. veſtrarum, in quibus partim de propenſâ ſuâ ad pacis atq; tranquillitatis ſtudium voluntate perſcribunt, partim anteactarum Commiſſionum defectus exaggerant, partim novæ tractationis ſpem oſtentant, ad eandemque nos, non tàm quidem ſuâ, quam noſtra cauſa cohortantur. De voluntate, quam à pace minimè alienam oſtenditis, ambigere nolumus; præterita rectenè reprehendatis, non tam diſputamus quam mentem vobis dari cupimus, ut quæ in Principe veſtro Orbis reprehendit univerſus, corrigatis. Spem novæ tractationis oſtentant quidem Dominat. veſtræ, ſed eandem propè excluditis, dum titulos alienos Principi veſtro nimis maturè præcavetis, aliaq; identidem in literis veſtris ingeminatis, quæ injuriam potius refricare, quam ad eam, quam vocatis juſtam, ſecuram, decentem pacem invitamento fore videantur. Adhortationem Dominat. veſtrarum non illibenter accipimus, qui nec tam ſanguinis Chriſtiani ſitibundi ſumus, ut à pace honeſta abhorreamus, neq; tam cauſæ aut viribus noſtris diffidimus, ut injuriam S. R. Majeſtatis, Domini noſtri clementiſſimi, atque Reipub. negligamus. Cæterùm cum in longè lateque patenti Regno cum alijs

 Colle-

Collegis noſtris magno locorum intervallo inter ſeſe diſſitis, negocium id communicare minimè poſſimus, ad comitia Regni Generalia jam indicta, illud tantiſper differre cogimur, daturi tùm operam, ut collatis in unum cum Senatorum, tum ordinum Regni, & M. D. Lithuaniæ Conſilijs, id decernatur, quod ex dignitate atq; commodo S. R. Majeſtatis, Domini noſtri clementiſſ. univerſæq; Reipub. fore videbitur. Qua de re ut Dominat. veſtris innoteſcat, nihilq; ex fide & officio noſtro erga S. R. Majeſtarem, Dominum noſtrum clementiſſ. ac Rempub. deſiderari à nobis patiamur, operam dabimus. Datum Warſaviæ, die 23. Octob. Anno 1624.

Martinus Sziſlovitz, Epiſcopus Cracovienſis.

Andreas Lipski, Epiſcopus Vladiſlavienſis & Pomeraniæ. R. P. Cancell.

Vencenſlaus de Leſzno R. P. ViceCancell.

Paulus Sapieha ViceCancell. M. D. Lithuaniæ.

Chriſtophorus Wziſeolouski Marſcallus Curiæ M. D. Lithuaniæ.

Illuſtriſsimis, Illuſtribus, Magnificis ac Generoſis Dominis Senatoribus Regni Sueciæ, Vicinis & amicis noſtris.

7. Reſpon-

VII.

Reſponſio Senatorum Magni Ducatus Lithuaniæ ad Senatores Regni Sueciæ.


Os inclyti Magni Ducatus Lithuaniæ Senatores infraſcripti, noſtro & D. D. Collegarum noſtrorum nomine, Illuſtriſſimis, Illuſtribus, Magnificis, ac Generoſis D. D. Senatoribus Regni Sueciæ, Vicinis & amicis noſtris, ſalutem.

Literas D.D. veſtrarum ad nos, de inſtituendo utrinq; pacis & publicæ tranquillitatis negotio, ſcriptas, accepimus, ex quibus D. D. veſtras noſtram quidem erga hoc idem negotium voluntatem cognoſcere, ſuum verò non alienum à pacis ſtudio declarare animum intelleximus. Ac primum quidem meritò mirari debuimus, nos in communi Reipub. noſtræ cauſa, ſingularibus & ſeorſivis, à D.D. veſtris, compellari literis, cum inficiari D. D. veſtræ non poſſint, certò ſibi conſtare Magn. Duc. Lithuaniæ cum inclyto Poloniæ Regno jam olim in unum coaluiſſe corpus, ita ut ſub uno capite, Sereniſſimo Rege, Domino noſtro Clementiſſimo, nobis degentibus, ſine mutua conſiliorum communicatione & unanimi conſenſu, quidquam in Repub. noſtra agere nec liceat, nec expediat. Proindè quod muneris & officij, fideiq; & conſtantis noſtri in Rempub. animi poſtulabat ratio, æquum duximus eorum, quæ à D. D. veſtris nobis, per ſingulares literas propoſita ſunt, Collegas noſtros D.D. Regni Poloniæ Senatores, participes fieri. Sed dum ob magna locorum intervalla conſilia inter nos retardarentur, factum

ctum eſt, ut mora etiam reſpondendis literis D. D. veſtrarum hucusq; protracta ſit. Jam verò, quis ſenſus animorum utrinq; noſtrorum, in propoſito ſit negotio (ne unum idemq; præſentibus hiſce noſtris pluribus iteretur) ex literis à D. D. Regni Poloniæ Senatoribus, Collegis noſtris, ad ſe miſſis, facilè intelligere poterunt. De noſtro quidem pacis honeſtæ ac publicæ tranquillitatis ſtudio, etiam ipſæ D. D. Veſtræ in ſuis literis non videntur ambigere: Sacram quoq; Regiam Majeſtatem, Dominum noſtrum Clementiſſimum ac pientiſſimum à Chriſtiani ſanguinis effuſione abhorrere, vel ipſi etiam hoſtes fateri coguntur. Quod ſi ingenti ipſe affectus injuria Reſpub: quoq; noſtra, nullâ à ſe data cauſa, contra antiqua pacta & fœdera, bello ſibi illato, civitatibus & arcibus proprijs hoſtiliter occupatis, juſtum & neceſſarium ſuſceperit & hactenus geſſerit bellum, certè nemo probus rerum æſtimator reprehendere id poterit. Quocirca ineundæ D. D. Veſtris ſunt hujusmodi rationes, ut ſublatis tandem funeſti hujus belli cauſis, quod per injuriam factum eſt, per juſtitiam compenſetur; undè optatum aliquando conſequi poſſimus finem, vetusq; amicitia, fœderibus firmanda utriq; Regno, poſtliminio reſtituatur. Quod quidem & ab æterno Numine obnixè precamur, & in proximis jam indictis generalibus Regni noſtri Comitijs, collatis cum D. D. Senatoribus, cæterisq; Reipub. noſtræ Ordinibus, mutuis concilijs, quod ex re & dignitate Sacræ Regiæ Majeſtatis, Domini noſtri Clementiſſimi, Reipub: quoq; noſtræ videbitur, ſeduló facere adnitemur: Viciſſim quoq; D. D. Veſtræ curam & diligentiam ſuam, in hoc ſalutari pacis negotio promovendo, ſeriò & candidè adhibere non intermittant, & ex Comitijs noſtris, plenius

nius

nius hac de re à nobis, una cum D. D. Regni Senatoribus reſponſum expectent. Quas intereà Domino Deo commendamus. Datæ Vilnæ die 27. Menſis Novembris, Anno Domini 1624.

Euſtachius Vollovitz Epiſcopus Vilnenſis.
Hieronimus Vollovitz, Generalis Samogitiæ Capitaneus, &c.
Adamus Talocois, Caſtellanus Samogitiæ, Capit. Radunenſis.
Johannes Staniſlaus Sapieha, Supremus M. D. L. Mareſchallus.

Leo Sapieha, Palatinus Vilnenſis, Breſtenſis, Mohivilſenſis Capitaneus.
Januſſius Tiſkievitz, Palat Mſcislavienſis, Braſlavienſis, Jurborcenſis, Novovolenſis Capitaneus.
Euſtachius Joannes Tyklievitz, Palatinus Breſtenſis.
Chriſtpohorus Naruſzevitz, Supremus Magni Ducatus Lithuaniæ Theſaurarius.

Illuſtriſſimis, Illuſtribus, Magnificis ac Generoſis Dominis Senatoribus Regni Sueciæ, vicinis atq; amicis noſtris.

D Replica

VIII.

Replica Senatorum Regni Sueciæ ad Senatores Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ.

NOs Senatores inclyti Regni Sueciæ Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis ac Generoſis D. D. Senatoribus Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ, vicinis & amicis noſtris, ſalutem.

Expectaturi fuiſſemus exitum Comitiorum veſtrorum, & inde de affectu animoq; veſtro in pacem ad promiſſum veſtrum edoceremur. Verum cum illa dilata intelligamus, & ſuum cum ipſis inducijs noſtris propemodum exitum habitura, putavimus fore è tranquillitate communi, ſi declarationem Dominat. veſtrarum urgeremus. Inſtat nunc paucis abhinc menſibus primus Junij terminus Induciarum noſtrarum, noſtra quidem opinione nullo alio fine conſtitutus, quam ut ſpacium nobis utrinq; ſit animo quieto, ſine armorum ſtrepitu, de pace atq; amicitia tractandi. Quid ſentiat S. R. M. Dominus noſter Clementiſſimus, multò ante declaravimus. Quid Sereniſſimo Regi veſtro ac vobis eſſet animi, ſollicitè hactenus, ſed fruſtrà exſpectavimus. Literæ enim veſtræ datæ 23. Octobris anni præteriti, nobis redditæ 12. Februarij nuperrimè elapſo, nihilo nos quam ante voluntatis veſtræ certiores reddiderunt, ac ſi cuncta exactè ponderentur, resq; ipſæ verborum involucris denudatæ, inſpiciantur, ſpem nobis magis præcidunt quam adaugent. Quid in Rege noſtro orbis terrarum reprehendat ac corrigi debeat, à nemine unquam intelleximus: Quid Rex veſter ac vos reprehendatis, conjecturâ facilè adſequimur: Sed quam procul id abſit ab orbis terrarum ſenſu, res ipſa loquitur, & ſuo loco dicetur. Titulos alienos Regi noſtro nullos præcavimus: Sed dignitatem Majeſtatemq; Regiam, à ſupremo Numine ipſi conceſſam, & adſeruimus hactenus, & divinâ adjuvante gratiâ eadem conſtantiâ ac fortitudine in poſterum adſerturi ſumus. Judicate ipſi non de eventu modò tractatus noſtri, ſed de ipſo initio, ſi præſentem rerum noſtrarum ſtatum in dubium vocare velitis. Ex ſenſu veſtro de nobis exiſtimate, tam generoſos inſediſſe pectora noſtra ſpiritus, ut Dignitatis S. R. M. Dn. noſtri Clementiſſimi, famæ, exiſtimationis atq; libertatis noſtræ, gentisq; noſtræ præter cætera curioſi nihil ſimus admiſſuri, quod has violare ullo modo poſſit. Quâ verò æquitate Dominat. veſtræ utantur, dum titulos honorum S. R. M. à cæteris omnibus Imperatoribus, Regibus ac Rebuspubl. tributos dare recuſant, quos adimire nequeunt; ſtatumq; rerum noſtrarum verbis evertere conantur, quem armis intactum relinquere oportuit, tantum ut indulgeatur affectui & commodis Regis veſtri, judicet orbis terrarum, & vos ipſi judicate. Hæc & procedendi modus, hactenus ex parte veſtra uſurpatus, dubios nos & ſuſpenſos tenuerunt, quorſum hæc noſtra tantoperè expetita tranquillitatis negociatio eſſet evaſura, dum cuncta vos & ſolere, & etiamnum velle intelligamus referre ac moderari ex arbitrio & commodis Regis veſtri; Quibus ſi inſtiteritis, nec initia nec exitus exoptatos tractatus noſtri ſumus habituri. Ideoq; ut aliquando hac rerum incertitudine exſolvamur, nevè veſtra reſpondendi mora alterutri noſtrum noxia ſit, putavimus è candore gentis noſtræ eſſe, declarare mentem S. R. M. Dn. noſtri, in pacem amicitiamq; propenſam, ſi illa vobis placeat, aut ſi minus arrideat, adeò apertam minimèq; ſimulatam, ut ſe ſuaq; armis

mis tueri ac defendere, divinâ adjuvante gratiâ, non dubitet. Si vobis placet negociatio pacis, mittant Rex vester & Dominat. vestræ suos cum justa ac conveniente potestate, qui agant ad primum Junij Stylo veteri, eosq; de cunctis rectè sufficienterq; informent: Ad quem diem S. R. M. suos præstò habebit, qui instructi potestate sufficientibusq; mandatis propensionem S. R. M. erga communem horum Regnorum tranquillitatem minimè fucatam sunt declaraturi. Nec videtur locus congressui commodior, quam ad confinia Rigensia: Isthic statuatur quæ sit rerum facies imposterum inter nos futura. At si ad dictum diem locumq; non comparuerint Legati Regis vestri ac Dominat. vestrarum, vel inter nostros non convenerit, sciant Dominat. vestræ nos incertitudinis hujus ac tractatuū pertæsos apertum malle bellum quam infidam pacem: Ideoq; Inducijs hisce diutius quam ad proximum primum Junij Stylo veteri teneri nolle. Datum in arce Stockholmensi die 20. Februarij, Anno 1625.

Magnus Comes in Wisingburg, R. S. Archidapifer.	Abraham Comes in Wisingburg.
Carolus Gyldenhielm L. B. in Berquara R. S. Ammiralius.	Axelius Oxenstierna R. Sueciæ Cancellarius.
Gabriel Oxenstierna L. B. in Möreby & Lyndholm.	Nicolaus Horn, R. S. Consiliarius.
Johannes Skytte L. B. in Duderoff. Eques Auratus.	Gabriel Oxenstierna L. B. in Kimitho & Töresiö.
	Svante Banner, R. Sueciæ Consiliarius.

Reverendißimis, Illustrißimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis ac Generosis Dominis Senatoribus Regni Poloniæ, Mag. Duc. Lithuaniæ, Vicinis ac amicis nostris.

Secun-

IX.

Secunda Responsio Senatorum Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ, ad primas Literas Senatorum Regni Sueciæ, ex Comitijs.

NOs inclyti Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ Senatores infrascripti, Illustrissimis, Illustribus, Magnificis ac Generosis Dn. Senatoribus Regni Sveciæ, vicinis & amicis nostris, salutem.

Ad prolixas Dominat. vestrarum literas mense Octobri præterito Warsaviam allatas, nonnulli ex Dn. Collegis nostris, qui tum Warsaviæ erant, responso 21. ejusdem mensis dato vobis responderunt, non potuisse eos negocium cum alijs Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ Senatoribus, ob locorum distantiam tàm citò communicasse, sed rem ad Comitia Regni generalia, quæ tum jam indicta erant, distulisse, ac uberius responsum ex ijsdem Comitijs vobis promisisse. Itaq; fidem promissi, hisce exsolvimus, & quanquam nihil ferè erat, in quo anterius Collegarum nostrorum responsum suppleremus; nè tamen ejusdem, quam in literis vestris ingeminatis, justæ, decentis, securæ pacis minus vobis studiosi, quanquam in dispari causâ & injuriâ, videamur, hæc breviter ex sententia collegarū nostrorum vobis perscribenda duximus. De Principe vestro utinam credere liceat, eum, uti prolixè scribitis, à pacis atq; tranquillitatis studio non esse alienum, utinam illi mentem eam Deus inspirare velit, ut ad pacem tàm illi sit propensa voluntas, quam ad bellum nobis justa causa. Sed enim dum in ijsdem literis tractationis modum & rationem præscribitis, reservationes exceptionesq; ab eâ excluditis, titulum Regium malè cum Regno usurpatum Principi vestro præcavetis, verendum ne sub pacis nomine aliud agere videamur. Qui enim secura pax, quam cupere vos aitis, cum integrâ

belli

belli causâ, honeſta cum inſigni dedecore, juſta cum ſumma injuriâ ſtare poſſit? Itaq; cum Principem veſtrum pacis amantem eſſe, & vos ejusdem Conciliatores apud illum operâ, conſilio, auctoritate fore profitemini, aut animum Principis veſtri malè exploratum habetis, aut ſecuram, juſtam, decentem veſtrâ ex parte duntaxat pacem cupitis, nobis fortaſſe longè aliam obtrudere vultis. Verùm ne Dominat. veſtrarum literas malè interpretari videamur, quicquid illæ à pace & concordiâ alienum ſonant, attendere nolumus, ſed potius voluntatem earundem, quâ & paci ipſæ favere videntur, & nos ad eandem amicè invitant, probamus. Nos certè id quod Dominat. veſtræ literis fusè declarant, factis & arte oſtendimus, & in præſentibus Comitijs re ipsâ præſtitimus, cum eò rem conſilijs noſtris deduximus, ut R. Maj. Dom. noſter Clementiſſimus, à pacis tractatione, ſi ea cordi & curæ vobis fuerit, minimè aliena fore videatur. Quod ſi vos, uti pollicemini, effeceritis, ut unde injuria ac belli cauſa fluxit, inde conſtans & ſincera ad pacem inclinatio, tractationisq; initium proficiſcatur, & Principi, exiſtimationi, ſecuritati veſtræ benè proſpexeritis, & nos ad eandem pacis tractationem, quantumvis cauſa, equitas, omniaq; divina ac humana jura nobis ſuffragantur, traxeritis. Datum Warſoviæ die 20. Menſis Martij, Anno 1625.

Henricus Firleij de Dabrovica, Archiepiſcopus Gneſnenſis.
Staniſlaus Lubzenski, Epiſcopus Luceorenſis, Reg. Polon. ViceCancel.
Adam Koſſobuscki, Palatinus Generalis Mazoviæ, Lanzen. Capitaneus.
Nicolaus Wolski, de Padſtycze, Regni Poloniæ Supremus Marſcalcus.
Venceſlaus de Leſzno, Regni Poloniæ Supremus Cancellarius.
Hieronymus Ciclecski, Epiſ: Plocenſis.
Jacobus Zadzik, Epiſcopus Culmenſis & Pomezaniæ.
Philippus Wolucski, Caſtellanus Ravenn. Capitaneus Radomenſis.
Paulus Sapiea, ViceCancellarius Magni Ducatus Lithuaniæ.
Hermolaus Ligeza, Supremus Regni Theſaurarius.
Lucas Opalenski, Marſcalcus Curiæ Regni Poloniæ.

Illuſtriſſimis, Illuſtribus, Magnificis ac Generoſis Dominis Senatoribus Regni Sueciæ, vicinis & amicis noſtris Chariſſimis.

X.

Replica Senatorum Regni Sueciæ ad litaras Senatorum Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ, ſcriptas ex Comitijs.



NOs inclyti Regni Sueciæ Senatores, Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis ac Generoſis Dominis Senatoribus Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ, Vicinis & amicis noſtris, Salutem.

INcertitudinem voluntatis veſtræ de pace noſtram, repetita toties armorum ceſſatio & tentati fruſtrà tractatus pepererê ac confirmavere in animis noſtris. Nihil verò eam altius impreſſi, quam literæ D. D. veſtrarum è Varſauienſibus Comitijs paucis abhinc diebus redditæ. Ceſſarunt aliquoties arma noſtra, & inprimis anno abhinc ſepoſita ſunt, nullo alio (ut nos quidem cenſuimus) fine, quam ut ſpacium nobis utrinq; eſſet congrediundi, & quietè ſine armorum motu, atque amicabiliter de controverſijs noſtris ſtatuendi. Hæc cura noſtra fuit, & veſtra eſſe debuit. Vrſimus negotium: Scripſimus primi: Mentem S. R. Majeſtatis, Domini noſtri Clementiſſimi, ad pacem amicitiamque propenſiſſimam teſtati ſumus, atque ne in eoſdem ſcopulos, ad quos navis tractatuum noſtrorum hucusque paſſa naufragium eſt, iterum inpingeremus, placuit candidè vobiſcum communicare, quæ hactenus obſtiterunt, & ut tempeſtivé removerentur admonere. Interim ſummum apud vos de novo pacis tractatu ſilentium,

tium; atq; ecce comitia veſtra in hæc relata fuére, multò nos quam ante incertiores reddiderunt, aut ut uno verbo dicamus, ſpem nobis omnem præciderunt. Commiſſarios illic novos, melioribusq; & mandatis & poteſtate datum, idq; ad nos perſcriptum iri putavimus, quorum loco literæ mittuntur, veteres injurias novis acerbitatibus cumulantes, eâ ambiguitate, ut quid velint Dominationes veſtræ, non intelligamus. Haud equidem videmus, quorſum illæ tendant, niſi ut animum S. R. Majeſtatis, Dn: noſtri clementiſſimi, novis injurijs exacerbatum, etiam invitum ad arma compellant, dum juſtam, decentem, ſecuram quærimus pacem, alieni à fraudibus atque inſidijs, verborumq; lenocinijs & ambiguitatibus. Sereniſſimum Regem noſtrum tituli Regij malè cum Regno uſurpati inſimulatis; ac ſi Sacram ipſius Reg. Majeſtatem non incitare ſed retrahere à ſtudio tranquillitatis ſuo decreveritis. Optimé ac pro ſalute horum Regnorum à nobis excogitata atroci inpretatione invertitis, ac prætoria quaſi authoritate cauſam belli, dedecus & injuriam nobis adſcribitis. Hæccine illa indicia ſunt, Dominat. veſtras conſilijs ſuis Regem ſuum induxiſſe, ut non videatur à pacis tractatu aliena? Aut enim Regis veſtri animum malè exploratum habetis, aut hanc ſolum putatis juſtam, ſecuram, decentē pacem, quæ cum extremo S. R. Majeſtatis dedecore hujusq; Regni interitu ſit conjuncta. Id licet mallemus mollius interpretari, tamen cum & comitia veſtra, quoties noſtri in ijs mentio fit, & diverſæ ad exteros legationes Regis veſtri infinitis refertæ ſint injurijs ac contumelijs in nomen S. R. Majeſtatis ac gentis noſtræ, ne induciarum quidem, quæ ex parte quadam debebant Regis veſtri acerbitatem lenire, habita ratione, non immeritò animum noſtrum

ſubit

ſubit cogitatio ſub pacis nomine aliud agi. Verum ut exſoluamur tandem hac rerum incertitudine, id quod menſibus aliquot abhinc ſcripſimus, iterum repetere non diſplicet, S. R. Majeſtatem propendere in pacem & amicitiam, ſi illa Regi veſtro ac vobis curæ eſt; ſin minus, nec bellum juſtum recuſare. Erit aliquandiu in veſtra poteſtate eligere utram placuerit; pacem ſi vultis, juſtis æquisq; conditionibus, & ut commiſſarij Regis veſtri ac Dominat. Veſtrarum, tempeſtivè adſint cum poteſtate conveniente ac mandatis: Bellum, licet inuitis nobis, ſi huc magis inclinaveritis. Etenim propenſio noſtra ad evitandam ſanguinis Chriſtiani effuſionem ſuadet, ut illam præferamus: Suſpicio verò è certis indicijs nata nihil nobiſcum agi ſeriò, ſed animo tantum trahendi lucrandiq; temporis nos hortatur, ut illud, modo evitari nequeat, non recuſemus. Dabantur Stockholmiæ die 20. Maij. Anno 1625.

Magnus Comes in Viſingburg, Regni Sueciæ Archidapifer.
Carolus Gyldenhielm l. Baro in Berquara. R. S. Ammiral.
Gabriel Oxenſtierna L. Baro in Môrby & Lindholmen, R. S. Conſiliarius.
Gabriel Oxeſtierna L. Baro in Kimitho & Tôreſiô R. S. Conſiliarius.

Abraham Comes ad Viſingsburg.
Axelius Oxenſtierna R. S. Cancellarius.
Johannes Skytte L. Baro in duderoff. Eq. Auratus.

Suante Baner R. S. Conſiliarius.

F

XI. Dup-

XI.

Duplica Senatorum Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ, ad Senatores Regni Sueciæ.

NOs inclyti Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ Senatores, infrascripti, Illustrissimis, Illustribus Magnificis ac generosis Dominis Senatoribus Regni Sueciæ, vicinis & amicis nostris, Salutem.

SI exitum comitiorum nostrorum, quæ ob pestis periculum aliquantisper dilata, satis tamen tempestivè expedita sunt, literasq; nostras, quas ex publico Ordinum Regni Magniq; Ducatus Lithuaniæ consilio ad vos mense adhuc Martio dedimus, expectassent Dominat. vestræ, non erat, cur vel de nostra erga pacem voluntate dubitarent, vel declarationem nostram tantopere urgerent. Ita quidem inter nostros vestrosq; Commissarios convenerat, ut si alterutra pars ad diem primam Mensis Martij clarigationem, belliq; denunciationem alteri legitimè ad notitiam non deduxisset, induciæ annuæ eo animo prorogatæ censerentur, ut interim de pace constituendâ à mutuis Commissarijs, quibus nec locus, nec tempus certum adhuc designatum erat, agi posset. In ea expectatione dum nos essemus, animumq; S. R. Majestatis, Dn. nostri clementissimi, in Comitijs præteritis publicâ Regni, Magniq; Ducatus Lithuaniæ Ordinũ intercessione ad æquæ, nec à jure, vel à dignitate Regia alienæ concordiæ voluntatem flexam & inclinatam perspectam habentes, ad posteriores literas nostras responsum vestrum præstolaremur, redditæ sunt nobis die VI. Mensis Maij literæ vestræ in arce Stockholmiensi XXa. Februarij scriptæ, in quibus multa quidem Dominat. vestræ parum ad tractationem pacis facientia, & magis irritandis animis apta adferunt, quæ nos consulto silentio transmittimus; neq; enim dubitamus, vos minimè ambigere, quo animo nos simus erga S. R. Majest., Dn: nostrũ clementissimum, quadraginta propè annis nobis feliciter & placidè imperantem, tot victorijs de Turcis aliisq; Barbaris obtentis inclytum, summâ animi moderatione libertatibus nostris faventem, ut nihil sit, quod non ejus Majestatis causâ nos facere debere profiteamur, etiamsi vel vitæ vel fortunarum discrimen esset adeundum. Is certè pectora nostra insedit spiritus, ea generosi animi constans est voluntas, ut quam fidem Majores nostri legitimè lectis principibus servare semper consueverunt, eandem nos S. Regiæ Majestati, Domino nostro, optimè de Republicâ nostra merito, stabilem, firmamq; conservemus & tueamur. Sed ut ad literas vestras respondeamus, jam certò Dominat. vestris constare potest ex iis literis, quas solutis comitiis mense Martio ad Dominat. vestras dedimus, nos, ut antea semper fuimus, eo esse animo, ut incoata pacis tractatio ad optatum, & utriq; Regno salutarem deduceretur effectum. Neq; hactenus per nos stetit, ut aliquot jam vicibus irrito conatu & frustra propositis conditionibus mutuò discederetur. Nam si æquo rerum æstimatori, & partium favore non infecto judicium permitteretur, facilè is discerneret, quis potiore & jure, & causa nitatur, quis magis privato favori, quam suæ indulgeat conscientiæ; an nos, qui hæreditario Sereniss: Regẽ nostrũ injustè exutum regno restitutũ volumus, qui nostra contra injustos invasores tuemur, aliena non appetimus, an ij, qui contra nituntur. Hâc justissimæ Sereniss. Regis nostri & nostræ causæ æquitate freti Orbi Christiano satis testatum fecimus, quantũ à fundendo sanguine abhorreamus, cũ toties appetiti intra fines nostros nos continuerimus,

mus, pactarumq; induciarum fidem sincerè observaverimus, quod & in presenti occasione satis luculenter à nobis præstitum est, cum nec ad denunciationem belli descenderimus, & ultrò, licet tot affecti injurijs, ab æquis pacis conditionibus nos non esse alienos ostenderimus. Interim postremis literis suis Dominat. vestræ aliquid aliud innuere videntur, quam quod nuper pactis conditionibus constitutū fuit, dum arctum nimis tempus futuræ commissioni, de quâ non nisi mutuis communicatis consilijs decerni potest, statuunt; Veluti ea res Dominat. vestris tantum esset arbitrij, seq; non præmissa, quemadmodum oportebat, tempestiva clarigatione, amplius lege induciarum teneri nolle significant, ut prima cum extremis conferentes, facilè existimare possemus, vos eâ mente esse, ut nos fide jnduciarum fretos adoriamini. Sed quem exitum tali animo & arte suscepta bella habere soleant, cum neminem lateat, nec vos feliciorem vobis polliceri potestis successum: Maximé cum in memoriam vobis revocaveritis, quoties justâ acie in Livonia concursum est, non impuné nos á vobis lacessitos fuisse, quod quidem non sine dolore nostro commemoramus, cum optatius nobis esset Turcicum vel Tartaricum, aliorumq; barbarorum, cum quibus perpetuum nobis bellum est, quam Christanum fusum videre sanguinem. Ceterùm ne omninò in sinistram partem hanc ipsam postremam vestram declarationem accipere, aut de vestra sinceritate, quam profitemini, diffidere videamur, ita à vobis commissarios nostros ad diem primam proximi Mensis junij exposci arbitramur, ut cum serius ad nos vestræ literæ venerint, etiamsi illi (cum tàm citò nec designari, nec ex remotioribus regni partibus ad locum solitum venire possint) uno aut altero mense tardius comparuerint, hanc moram sitis æquo animo laturi, & ad finem mensis Augusti Commissarios nostros & S. R. Majestatis, Dn. nostri clementissimi, expectaturi. Maximè cum nos in eo simus, ut hæc pacis tractatio, si modo ea vobis cordi est, seriò instituatur, ac proinde supplicavimus in præteritis comitiis S. R. Majest. Domino nostro clementissimo, ut cum sub ipsum Tractatuum tempus ex longinquo difficilè ad S. Majestat. consilia conditionesq;, quæ in disceptationem venient, referri possint, propius ad ea loca Majestas sua accederet, Vilnæq; interim subsisteret. Quod si vos quoq; principi vestro persuaseritis, ut Rigam se sub exitum mensis Septembris (nec enim citius Regia Majestas, quæ benignè Supplicationi nostræ eâ in parte annuit, Vilnam venire potest) conferat, nobisque de voluntate illius maturé significaveritis, in eam spem venimus, maximi momenti gravissimum hoc negotium utriusque principis interventu sopiri componique posse, & sincerâ redintegratâ amicitiâ pacem inter duo hæc Regna restitutum iri: Quâ de re quis sit vester sensus, nobis quantocitius significabitis. Datum Varsovie die 11. Maij. Anno 1625.

Hieronimus Cicleeski, Episcopus Plocensis.
Venceslaus Comes de Lesno, Cancell. Supremus R. Poloniæ.
Paulus sapieha, ViceCancell. M. Ducatus Lithuaniæ.
Hermolaus Ligeza, Supremus Regni Thesaurarius.
Stanislaus Lubienski, Episcopus Luceorensis, regni Poloniæ ViceCancell.
Lucas de Bnin Opalenski, Marschalkus Curiæ Regni.
M. Veiher Castell. Elb. Cap. Wal.

XII. Respon-

XII.

Responsio Senatorum Regni Sueciæ ad duplicam Senatorum Regni Poloniæ, & Mag: Ducatus Lithuaniæ.

NOs inclyti Regni Sueciæ Senatores, Reverendissimis, Illustrissimis, Reverendis, Illustribus ac Magnificis Dominis Senatoribus Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ.

TEntati sæpe à nobis sunt tractatus pacis, sed in hunc diem irrito conatu atq; eventu; Idq; ob defectum justæ & negocij magnitudini respondentis potestatis, ac mandati Commissariorum Vestrorum. Ac licet priores tractatus nostri hoc vitio fermé in bellum degenerassent; tamen posteriores similitudine defectus prioribus pares, nihilo meliores extiterunt. Nata hinc non immeritò suspicio est, non gentium tranquillitatem, sed commodiora tempora, & maturiores rerum gerendarum occasiones captari. Idq; biennio abhinc compertum fuit, cum ne jnduciæ quidem publicâ authoritate constitutæ securitati nostræ satis caverent. At cum spes subinde à Commissarijs vestris daretur, negocium isthoc per Comitia vestra promotum iri, is amor pacis & amicitiæ cum Rege & repub. vestra conciliandæ S. R. Majestat. Domini nostri clementissimi, occupavit, ut toties suâ spe deceptus, tentare nihilominus pacis quam belli media mâlverit. Convenerat igitur jussu S. Regiæ Majestat. inter nostros vestrosq; Commissarios, ut arma utrinque cessarent ad primum Junij hujus anni, quò esset & S. R. Majestati & Regi Reipublicæq; vestræ spacium deliberandi, suosque cum justa potestate ac sufficientibus mandatis ablegandi, adjecta conditione, ut nisi binis mensibus ante ab alterutra parte induciis renunciaretur, eo ipso in annum prorogatæ censerentur. Nihil præteritis annis nobis fuit antiquius, quam instare atque urgere, ut tranquillitas justa, conservato utriusque Regis Regniq; statu præsenti, postliminio quasi reduceretur: Cumque apud Dominat. vestras de isthoc altum silentium, suspicati nihil agi seriò, insistere vehementius & premere gravius cepimus. Locus quidem certus, aut dies nullus initio præfixus fuit, sed utriusque nostrûm arbitrio permissus: Induciæ tamen annuæ nisi reducendæ Regnorum tranquillitati accommodarentur, noxio potius consilio, quam salutari eas constitutas putavimus. Quid igitur Dominat. vestræ in nobis reprehundunt, literis suis ad nos datis Varsoviæ die $\frac{1}{1}$ Maij, quod declarationem vestram tantoperè urserimus, remittentes nos ad literas suas mense Martio datas, ac si illæ vestræ voluntatis in pacem testes essent futuræ? Excussimus illas, & minutissima quæque rimati sumus, sed quò illas accuratiùs intuemur, eò nos longiùs à spe pacis abducunt, & nihil nobiscum agi seriò persuadent. Hæ vestræ priorum interpretes, nullis aliis flosculis quam injuriis nostris exornantur; Regem vestrum, quem injustè exutum scribitis Regno hæreditario, restitutum vultis, injustos nos invasores rerum vestrarum vocatis. Hunc igitur scopum Dominat. vestris propositum patet, evertere statum rerum nostrarum præsentem, cum armis nequeatis, sub specie pacis. De jure Regis vestri in hoc Regnum tanta adseveratione pronunciant Dominationes vestræ, ac si pro tribunali sententiam ferretis. Hostes, quos amicos noluistis, in hosticum ingressi sumus, & quod belli jure vobis eripiumus,

puimus & possidemus, id per injustam invasionem occupata scribitis. Non sunt isthæc signa voluntatis ad concordiam flexæ. Neq; enim dubitamus vos minimè ambigere, quo simus animo erga S.R. Majestatem, Dominū nostrum clemētissimum, divinâ benignitate nobis datum, quatuordicim annis nobis feliciter placideq; imperantem, stabiliendo exornandoq; Regno suo; nostræ quoq; libertati, ac cunctorum ordinum incrementis unicè deditum; non in ordinum dissidiis, sed mutuâ concordiâ suorumq; amore erga se fulcrum imperij sui collocantem, ac diversis trophæis secundum Deum propria virtute partis apud suos exterosque inclytum; ut nihil sit, quod non ejus Majestatis causa nos facere debere & velle profiteamur. Si tantam in animis vestris vim habent merita Regis vestri, ut studio ei gratificandi nihil non sitis facturi, usque ad eversionem status nostri, quam Deus avertat, & vestri extremum discrimen: Ignoscite nobis, parique animi æquitate de consilijs actionibusque nostris judicate, quod non minori studio, non minori constantiâ & generositate S. R. Majestatis, Domini nostri clementissimi, jus & dignitatem, cum nostra cæterorumq; concivium nostrorum libertate & existimatione conjunctam, simus adserturi. Etenim Regem habemus, qui vitæ sanguiniq; suo nunquam pepercit, ut benè esset Regno suo; pro ejus Majestate, dignitate, jure, salute vitam sanguinemque nostrum profundere, rerumq; nostrarum omnium discrimen adire, sicuti æquum est, ita nunquam non parati erimus. Et quam fidem majores nostri Regibus suis justè imperantibus servare consueverunt, eam stabilem firmamque S. Regiæ Majestati, Domino, nostrò clementissimo, summa moderatione nobis imperanti, atque optimè de Regno hoc merenti conservaturi ac tuituri sumus. Huc si tractatus vestri tendunt, ut ten-

dere ex literis vestris patet, quò modernus rerum nostrarum status non conservetur, sed perturbetur, haud putamus æquum aut consultum rebus nostris, ut qui divinâ fulti clementiâ, causæq; nostræ æquitate tot iam annos & S. R. Majestatis jus & libertatem gentis nostræ tutati sumus, eam nunc per ignaviam Dominat. vestrarum judicio simus subdituri. Ad clarigationem, quam non tempestivé præmissam vultis, quod attinet, norunt Dominat. vestræ eam non alio fine promissam, quam ne alter alterum ex improviso adoriretur, utque is qui teneri nollet, id alteri duobus mensibus ante significaret. Scripsimus ad Dominat. vestras sat tempestivè, sed quod paucis diebus diutius tabellarius in itinere ob anni difficultates sit detentus, id prævidere omninò non potuimus. Animus S. R. Majestatis, Domini nostri clementissimi, non minus nunc quam ante in pacem propendet, & quam hisce annis tantoperè, tamque studiosé affectavit & quæsivit amicitiam cum Rege & Republica vestra, eandem quærere non desistet, ac si eam minus in armorum quiete invenerit, inter strepitus ipsos ac concursus perquiret: Nihil optatius jucundiusque pace est: Nihil majori cum periculo incommodove conjunctum, quam alea belli: alterum exoptavimus sæpe, nec alterius inexperti sumus. Illam longè præferimus, & si justam vultis, eò S. R. Majestatem, Dominum nostrum clementissimum, & proprius amor pacis stimulavit, & nos consilijs nostris induximus, ut in illam non difficulter sit adsensurus, etiamsi se obtulerit inter ipsa arma. Hoc vero detestamur quidem, sed veluti necessarium non refugimus. De successu belli, qui est in solius Dei manu, nihil possumus adserere: freti tamen causæ nostræ æquitate, ac armorum nostrorum justitiâ, eum fore speramus, ut si minus exinde nobis unicè

 expeti-

expetita pax affulgeat, vos ſolùm ejus diſturbatæ pœniteat. Vocant quidem Dominat. veſtræ nobis in memoriam aliquot clades noſtras antehac in Livonia acceptas. Fatemur nos homines, nec quidquam humani à nobis putamus alienum; ſi tamen clades illæ rectè perpendantur, infortunio potius noſtro quàm virtuti veſtræ adſcribi debent. Miramur Dominat. veſtras de iis tantoperè gloriari, cum inter has ipſas tantâ inſolentiâ deprædicatas clades, Reſpublica veſtra majus etiam vulnus acceperit: Ipſam propemodùm provinciam cum urbibus & caſtris amittendo; Quod conſcii viciſſitudinis rerum humanarum, non tàm exprobamus Dominationibus veſtris, quam in memoriam revocamus, ne ex uno alterove belli actu eventum totius, aut cauſæ juſticiam metiamini: vel ſi velitis, ut inde dignoſcatis, æquitatem juris & benignitatem divini Numinis pro cauſa noſtra ſtetiſſe. Denique Dominat. veſtræ videntur innuere, Regem veſtrum vilnam venturum menſe Septembri; ideoque è re eſſe, ut S. R. Maj. ſe Rigam conferat, quò Regibus noſtris, in propinquo conſtitutis, cuncta quæ in diſputationem veniunt, facilius referri poſſint. Facile id perſuaderi ſibi paſſa eſt S. Reg. Maj. Dn. noſter clementiſſimus, qui toto prætcrito tempore nihil quam pacis tractatum urſit; ſique ſuâ præſentiâ quicquam ei commodi afferre poſsit, nihil eſt denegaturus (modo æquum petatur) tranquillitati horum Regnorũ. Veniet volente Deo Rigam, ſed pertæſus proceſſuum veſtrorum, hucuſque uſurpatorum, nec paſſurus ſe ad illum modum diutius circumagi. Arma quæ S. R. Maj. ejus induere cöegerunt Dominat. veſtræ, vobis opponet, ut pacem habeat. Commiſſarios qui cum veſtris deputatis de amicitia ac tranquillitate etiam inter arma agerent, jam conſtituit, ac ſecum advectura eſt. Paratam habebitis

habebitis S. R. Maj. ac propenſam ad utrumque, ut ſub juſtis conditionibus veſtra ſit, pacis, bellivè, etiam in ipſo bello optio. Et ſi Rex veſter propius accedere voluerit, ut conſilia facilius & minori cum temporis diſpendio cõmunicari poſſint, id erit ſine dubio plurimi momenti, ad rei ſummam habiturum. Verum ut iſthæc in Septembrem differantur, ætatem anni nobis minimè commodam, ſuſpenſis interim armis, ac nihilominùs incerto tractatus tàm initio quam eventu, non eſt è re ac uſu noſtro. Veſtrum erit maturare negocium, ac prævenire majora mala: At putate, cum arma nobis neceſſariò capienda ſint, nos etiam inter hæc, quovis tempore ac loco de pace, quam ſub auſpiciis induciarum obtinere non potuimus, lubentiſsimis promptiſsimisque animis & audituros & acturos eſſe. Dabantur Stockholmiæ, die 14. Junii 1625.

Magnus Comes in Wiſingburg R.S. Archida:
Axelius Oxenſtiern R. S. Cancellarius.
Gabriel Oxenſtiern Guſtavi, L. Baro de Kimito, Weſtrogothiæ Leg.
Carolus Oxenſtiern L. B. in Lindöö.
Abraham Comes in Wiſingburg.
Nicolaus Horn Præſes Uplandiæ.
Linner Ribbing.
Nicolaus Fleming Vice-Admiral.
Carolus Guldenhielm L. Baro in Berqaara R. S. Ammiral.
Johannes Skytte L. Baro in Duderoff Eq. auratus.
Suante Banner aulæ Mareſchallus.

Reverendiſsimis, Illuſtriſsimis, Reverendis, Illuſtribus ac Magnificis Senatoribus R. Poloniæ, Magniq́ Ducatus Lithuaniæ, vicinis noſtris.

XIII.

Literæ Senatorum Regni Sueciæ ad Senatores Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ, postquam S. R. Majestas Rigam appulit.



Os inclyti Regni Sueciæ Senatores, Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis, Reverendis, Illuſtribus, Magnificis ac Generoſis Dominis Senatoribus Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ, Vicinis noſtris.

Appulit in hunc portum heſterno die S. Reg. Maj. Dominns noſter clementiſſimus, juſtæ paci, aut ſi hæc à Dominat. veſtris negligeretur, juſto bello intentus ac paratus, certâ ſpe commiſſarios cum validâ poteſtate à Sereniſsimo Rege veſtro, ac Republ. datos, præſtó futuros, qui cum noſtratibus congreſſi, tranquillitati horum Regnorum conſulerent, & nos hac rerum incertitudine tandem exſolverent; aut ſi ſe opinione ſpeque ſua deceptum cerneret, veluti deſperato pacis negocio, poſt exitum induciarum ſecuritati noſtræ armis proſpiceret, vobisque bellum inferret. Dolendum ſanè eſt, tantùm poteſtatis dari oſoribus pacis in Republ. veſtra, ut tot bonis viris, tot gentibus expetitæ tranquillitatis deſiderium, paucorum ambitu & cupiditate fruſtrari, ac intervertere queant. Quinquies ceſſatio ab armis decreta, ſæpius de eadem inter nos actum eſt, & aliquoties ad arma recurſum; ſed in hunc uſque diem nunquam licuit impetrare, ut quibuscum ex æquo tractaretis, nos Dominationes veſtræ haberent. Paſsi id initio ſumus, non iniquis animis, licet rei magnitudo & dignitas Regni conſilium aliud ſuggerebat, quod putaremus aliquid temporis leniendæ animorum acerbitati dandum eſſe. Verum poſtquam trahi diem de die, atque annum de anno videamns, & vix nos nunc propius à ſincero pacis tractatu abeſſe, quam cum primum ejus mentio injiceretur, appareat, ſtudium noſtrum præciſa ſpe boni eventus non parum infringi, ac ſuſpendi neceſſe fuit. Annus & qui excurrunt Menſes à die poſtremum receptæ ceſſationis armorum, non tantum potuerunt in animo Sereniſſ. Regis veſtri, ac Dominationum veſtrarum, ut Commiſſarios ſuos, qui nobiſcum agerent, tanto temporis ſpatio expedirent, ut non ſit difficile judicatu, non pacem, ſed rei gerendæ occaſionem, non litium ac controverſiarum compoſitionem, ſed perpetuam fomentationem à Rege veſtro ac vobis quæri, atque cuncta ad uberiores commoditates conferri. Eluſis tractatibus hactenùs tentatis, ſemper ad eoſdem ſcopulos invalidæ & tanto à negocio abhorrentis poteſtatis Commiſſorialis veſtræ, rejecti ſumus; idque præmii tulimus ſtudii pacis noſtri, ut nunquam minus ſecuritati ac ſumptibus noſtris, quam ſub hac amicitiæ ſpecie proſpectum fuerit. Literæ Dominationum veſtrarum, ſub tempore ceſſantium armorum nobiſcum commutatæ, intolerabili ſunt acerbitate exornatæ, & hunc vobis ſcopum unicè propoſitum confirmant, pacem nullam eſſe poſſe, niſi præſenti ſtatu noſtro everſo, quo quidem, quid nobis acerbius bello victis contingere queat, non videmus. At quod inter cætera facilè primum meretur locum, eò uſque Rex veſter in contumeliam, injuriamque nominis noſtri efferbuit, ut & ad exteros Principes, & in Comitiis ac convocationibus veſtris, ipſis induciis ſusque deque habitis, famam Ser. R.M. Domini noſtri clementiſſimi, infandis crimina.

minationibus lacerarit, nec à manibus piè defuncti parentis S. R. M.tis, quondam Regis nostri, cuivis odium sola mors meritò lenire ac tollere debebat, abstinuerit: In nos verò & gentem nostram, unde ipsius originem trahit, nihil non quod infamia ac contemptu nostro conjunctum sit, congesserit; ut isthæc excitandis inter amicas gentes bellis, multoq; magis concitandis iis, quorũ animi adhuc ægri nec satis ad concordiam flexi, valeant sufficiantque. Quid igitur agendum S. R. M.ti Dn. nostro? Quid nobis consulere? Quid gentem nostram ferre decorum? Patine isthæc diutiùs salva Majestate Rex noster potest? Admittine isthæc queunt, salva dignitate ac securitate Regni, honoreque nostro? judicate ergo ipsi, quorum pectora generosos spiritus insedisse credimus, an ista à nobis aliisve vicinis vestris ferre velitis, atq; idẽ nobis animi esse putate. Et qua æquitate utimur in dijudicãdis actionibus vestris, facileque ignoscimus, si quid præ nimio studio demerendi gratiam Regis vestri, affectui ejus indulgeatis. Eadem æquitate rogamus, ut metiamini consilia nostra, & pari candore interpretemini, quod nos vanis tractatibus diutius circumduci, & S. R. M.tis, Domini nostri, dignitatem atq; famam nostram tàm acerbè lacerari amplius pati nolimus. Elapso itaque primo Junii, postmodum in ultimum prorogato; nec commissariis vestris, qui agerent de pace comparentibus, videntes nos, id quod ante metuimus, ac futurum prospeximus, delusos, armis quæ nobis jura divina atque humana, ipsaque necessitas in manus dedêre, eousque vobiscum decertare cogimur, donec divino numini placuerit consilia Dominationibus vestris, justæ, securæ ac decenti paci magis accommodata suggerere. Si verò Reg. M.tas Dominus noster, sicuti neque hæc, neque alia unquam arma arripuit, nisi necessitate se

suosque

suosq; tuendi compulsus. Nihilq; habuit antiquius, quam ut certa aliqua reperiretur ratio, diuturnum hoc & cruentum bellum inter hæc regna sopiendi. Ita quoque in posterum nihil de hoc studio tranquillitatis hisce regnis reddendæ, remittet, suosq; commissarios inter ipsa arma præsto habebit, ac jam constituit, qui cum vestratibus, si quos Rex vester, ac Dominationes vestræ ablegaverint, agant, statuant, ac diu expectatam pacem reducant, modo ea potestate ac mandatis muniti accesserint, ut spes appareat, labores nostros non irritos fore. Neq; bellum, quod cogimur suscipere, consilia hæc pacis, quoad nos, vel mutabit, vel impediet. Dominat. vestrarum nunc erit vel continuare bellum, vel quo minus in longum serpat, pluresque abripiat, interventu justi tractatus avertere: Quo casu spes nos tenet, multa mala præcaveri posse. Quidquid verò incommodi vel nobis, vel Dominat. vestris nunc evenerit, eius se authores illi sentiant, qui negociationi pacis, vi sua ac robore callidè subtracto, consilia hæc tranquillitatis tanto desiderio à nobis expetitæ, hactenus subverterunt. Dabantur Rigæ 1. Julij 1625.

Jacobus DeLaGardie R. Sueciæ Marschius.
Axelius Oxenstierna R. Sueciæ Cancellarius.
Nicolaus Flemming, Vice-Admiralius.

Carolus Caroli Guldenhelm, L. Baro in Berquara, R.S. Admiralius.
Swante Banner, Aulæ Mareschallus.

Reverendißimis, Illustrißimis, Reverendis, Illustribus & Magnificis Dominis, Senatoribus Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ, vicinis nostris.

XIV. Li-

XIV.

Literæ Cancellarii Regni Sueciæ ad Castellanum Vendensem, Johannem Gothardum à Tisenhausen, & Capitaneum Derpatensem, Magnum Ernestum Dœnhofsvium, sese Commissarios gerentes.

TErtius nunc agitur annus, cum ad Ogram de renovandâ inter hæc Regna amicitia, sopiendoque bello nobis negocium esset; nec diffiteor ipsum studium pacis vestrum multis indiciis mihi cognitum, magnoperè me vestris Dominationibus junxisse. Etsi enim contrariis agitabamur, ut in causa dispari, studiis, utrique tamen cupiebamus Reges nostros, tàm propinquo sanguine junctos, & hæc Regna Sueciæ Poloniæque in gratiam redire, ac controversiis nostris finem aliquem reperiri. Vix quidem tum, at ne vix quidem ratio reperta fuit, ceptam ad Mithaviam armorum quietem prorogandi in annum, ut spacium esset Dominationibus vestris, ista suo loco referendi, ac ut iis, qui deputarentur in posterum ipsi negocio, melius prospiceretur. Recordantur sine dubio Domin. vestræ re propemodum infecta, & bello conclamato discedendum fuisse, ob defectum potestatis vestræ, quæ neque Regem vestrum obligabat, neque nos pro Commissariis S. R. M.tis Domini nostri clementissimi, à quo uno omne potestatem nostram obtinueramus, agnoscebat, ut infinita alia ejus vitia taceamus. Nunquam poteram mihi persuadere, post tot, ac tantas altercationes, usque ad fastidium habitas, nos iterum ad eosdem scopulos impingere, ac navim tractatuum nostrorum naufragium pati debere. Si enim seriò sincereque de pace agitur, cur commissariis vestris non datur ampla, & magnitudini negotii respondens agendi statuendique facultas? Aut si pax justa, moreque inter humanas gentes recepto ineunda, non censetur è re Regis ac Reipublicæ vestræ, cur luditur tractatibus pacis? Et cum spes nulla sit, cur sperare jubemur? Qui nostris tractatibus successerunt, nihilo fuere melius instructi; & nunc annus integer elapsus est, cum ne de nomine Commissariorum vestrorum quicquam constitutum sciamus. Suspecta hæc sunt, maximè si quis acerbitatem ac intentionem literarum, quas hoc anno Dn. Senatores Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, ad D. D. Senatores Regni Sueciæ dederunt, penitius inspiciat; nec quisquam rerum mediocriter peritus aliter de his judicaverit, quam Regem vestrum abhorrere ab omni justo tractatu pacis & amicitiæ; ipsumque cum suis, induciis hisce annuendo, non tranquillitatem, sed momenta temporum & occasiones captare. Quod quantum destinatis ipsius forsan conducit, tantò erit nobis præcavendum magis. Nec jurè S. R. M.ti vitio verti poterit, quod se his artibus delusam animadvertens, arma necessitate oblata arripere coacta fuerit, ut vel eam pacem, quam equis conditionibus tot annos quæsivit, impetraret, vel si id non possit, ut hac incertitudine consiliorum tandem exsolveretur, cum hisce annis nihil nobis magis noxium fuerit, quam sub specie tranquillitatis, eisdem periculis, sumptibusque obnoxios esse. Haud equidem diffiteor, controversiam gravem agitari, sed quæ 27. annorum continuis bellis emollita, nullum finem sortiri poterit amicis tractatibus, quam salvo statu nostro præsenti. Pati verò ut ad hunc modum de anno in annum controversiæ nostræ protrahantur, cum infamia contumeliaq; nominis S. R. M. ac gentis nostræ, neq; est ex dignitate regni hujus, neque è no-

è noſtra ſecuritate. Viſum igitur eſt S. R. M.ti Dn. meo clementiſſimo, per me, atq; Dominos collegas meos, qui hic præſto ſunt, iſthæc Dn. Senatorib. Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ explicare uberius, tum ea, quæ S.R.M.tem, ut huc veniret, impulerunt; tum ut intelligerent S.R.M.tem. hac potiſſimum intentione, animoq; in hanc veniſſe provinciam, ut pacem haberet, ne quidem eius negociationem detrectans inter ipſa arma, atq; bello flagrante; aut ſi more ſolito S.R.M. circumducere perrexerint, ut tum, divina adjuvãte gratiâ, rejectis his artibus, ſe ſuosq; armis tueretur. Ego cum ex Dn. Generali exercitus noſtri, collega meo, intellexerim, Dominationes veſtras in propinquo eſſe, volui & publicas D. D. Collegarum meorum literas ad vos dirigere, haud dubitans, illas propediem ſuo loco redditum iri, & ſimul hæc adijcere, quod ſentiam ea me poſſe cum venia veſtra, ſiquidem negocio huic aliquando operam dedimus; Et quod nunc inter alios ſim á S.R.M.te conſtitutus, qui hunc tractatum pacis, quoad nos, urgeam. Et ſi faverit divina clementia cœptis, ut junctis conſilijs cum commiſſarijs veſtris, ſi qui fuerint deputati, & benè inſtructi, reſtringuere coner id, quod cœpit ardere, incendium belli. Dabantur Rigæ die. 1. Julij. Anno 1625.

Axelius Oxenſtierna R. Sueciæ Cancellarius.

Magnificis & Generoſis Dn. Gothardo Iohanni à Tiſenhauſen, Vendenſi, & Dn. Magno Erneſto Dönhofvio Derpatenſi Caſtellanis.

XV. Li-

XV.

Literæ Caſtellani Vendenſis, Dn. Gothardi Iohannis à Tiſenhauſen ad Commiſſarios Regni Sueciæ.

EX congreſſu nupero cum Illuſt: Dn. Comite DeLa Gardie, pro eo ac utrinq; conventum erat, expedivimus ad S. R. M.tem Dn. noſtrum clementiſſimum, ſupplicantes pro tali plenipotentia, qualem hactenus Illuſt: Dominat. veſtræ requiſiverunt, & quæ præarduo huic negocio aggrediendo ſufficeret. Expoſitum eſt Illuſt: veſtris quatenus jam in comitijs publicæ ordinum ſupplicationi S. R. M.tas ipſius clementiſſimè annuerit, cujus aſſenſus vigore, ſiquidem calamitoſi ob peſtem temporis ratio plenum commiſſariorum numerum præpediat, nobis hic præſentibus & R. M.tis ipſius, & illuſtriſſ. D. D. procerum plenipotentiæ allatæ ſunt. Non fore putavimus, cum in expectatione verſaremur, repentinum hoc incendium belli incitatum iri, quo irrumpente recedere diverſo pro utriusq; noſtrum conditione, itinere coacti ſumus. Cum itaq; mihi tabellarius ex Regia obuius fieret, præſentium latorem ad illuſt:tes veſtras ablegandum, ſimulq; M. D. Collegam ex itinere meum (quem brevi affuturum ſpero) retrahendum duxi. Multoties Illuſt: veſtræ literis ſuis nobis explicarunt, quod ſub ipſo armorum ſtrepitu, plenipotentiarum interventu, hoſtilitas averti, pacateq; ſalutare pacis inſtitutum ſuſcipi debeat. Comprobatur nunc ipſo rei eventu ſincerum inclytæ Reipublicæ noſtræ, in avertenda ſanguinis Chriſtiani effuſione, ſtudium ſimiliter expectantes, ut Illuſtritates veſtræ ſancta toties aſſertione ſua ſic ſatisfaciant, ut ſerenitatem ipſius vel eousq; ab armis retrahant,

 quoad

quoad constituendo inter nos loco & tempore convenire, concessasque plenipotentias mutuò recognoscere licebit. Constitutus nunc ego in reditu ad D. D. Principales meos tàm diu hic Vobolnicis in confinibus Lithuaniæ subsistam, quoad declarationem illust. vestrarum per hosce internuncios meos recepero, & ut illust. vestræ cessationem aliquam armorum impetrent, nobisque de securitate caveant, pro tanti negotii exigentiâ, allatis nunc plenipotentiis istis vigore declarationis editè condebitè affecto. Quod superest, illust. vestras bene valere cupio. Dabantur Wobolnicis 19. Julii, Anno 1625.

Illust. Dominat. vestrarum
studiosiss.

Gothardus Joannes à Tisenhausen,
Castellanus Vesidensis.

Illustribus, Magnificis ac Generosis Dominis, Regni Sueciæ circa tractatum pacis, deputatis Commissariis.

Responsio

Responsio Cancellarii Regni Sueciæ ad anteriores literas Castellani Vendensis.

UTinam Deus eam inspiret mentem Regi & proceribus Reipublicæ vestræ, ut orbi huic Septentrionali justam quietem suam non invideant, sed promoveant: Nihil unquàm S. R. M.ti Domino meo clementissimo, gratius acceptiusque contingere posset. Id quidem nunc videtur Magnifica vestra Dominatio innuere velle literis suis, hoc ipsò momento mihi redditis, adfirmando, ad se delatas regis procerumque Reipubl. vestræ plenipotentias, quæ sufficerent præarduo huic negotio aggrediendo, simulque rogando, ut à S. R. M.te aliquam armorum cessationem impetremus, tum ut securitati vestræ caveretur, dum de loco & tempore inter nos constituere, & concessas plenipotentias mutuò cognoscere licebit. Ea certè in pacem justam est S. R. M.tis Domini nostri propensio, ut gratissimum habuerit, transmissas ad Dominat. vestram ac Collegas esse justas, & negocii magnitudini respondentes plenipotentias; ideoque quo semper in pacē animo affectuque fuit, eodem & urgere & promovere illud adeò salutare negocium non desistet, modo rem seriò agi à Regeque publica vestra cognoverit. Ne verò in vanam spem solito more efferamur, atq; ut tractatus, si quis futurus est, tantò acceleretur magis, è re est, ut exemplar authographo respondēs plenipotentiarum vestrarum nobis communicetur, & oculari inspectioni nostrorum hominum subjiciatur. Ideoque si Dominationi vestræ pacis isthæc negociatio curæ est, certo die ac loco ad Dunam, quorum optionem Dominat. vestræ concedimus, commodis

modis tamen utriq; noſtrum, ſubdelegatis noſtris, per ſubdelegatos ſuos, acceptas plenipotentias inſpiciendas præbeant, ac earundem exemplar communicent. Etenim ſi eas deprehenderimus reſpondere magnitudini negocij, & ſimul munitas eſſe juſtis mandatis, ut inde exitum bonum juſti tractatus augurari liceat, mirum quantum id ad ſummam rei facturum ſit. Securitati quidem Dominat. veſtræ ac collegarum, qui huic negocio deputabuntur, quocunq; tempore cavebitur, ubi de ipſorum nomine ac adventu conſtiterit: At ut S. R. M.tem, Dn. noſtrum, nunc ab armis retrahamus, tantosq; ſumptus cum tempore perire ſuadeamus, incerti nihilominus, quæ tractatum noſtrorum vel initia, vel eventus ſint futuri; id per ſe iniqvum rebusq; noſtris nimis noxium, ne quidem à vobis ipſis probari putamus. Arma enim S. R. M.tas in manus accepit, non ſuo motu ſpontaneo, ſed vitio veſtrorum hominum, qui tanto annorum decurſu, totiesq; repetita belli ceſſatione, verbis pacem, re bellum oſtentarunt, neq; juſtam ſinceramq; amicitiam amplecti, aut legitimo modo ad eandem progredi unquam voluerunt. Hæc tam juſta arma, quæ S. R. M.ti Dn. meo, ſua Regniq; ſui dignitas, fama, exiſtimatio, ipſa denique ſumma neceſſitas & defenſio obtulerunt, non poterit nunc ſeponere, niſi reipſa ac pace conſtitutâ, de qua agere parati ſumus, quovis loco & tempore, nihil morantes armorum ſtrepitus concurſusque, modo Dominatio veſtra cum Collegis, Commiſſarijs ſui Regis ac Reipublicæ ſtudium non tam verbis quam facto declaraverint, ac re ipſa oſtenderint, conſilia Regis Reiq; publicæ Poloniæ non differendo ſed auferendo bello deſtinata eſſe. Ea & fuit & erit S. R. M.tis mens, ut pacem velit, ſed juſtam & ſecuram, de qua non minus inter arma quam his quieſcen-

cen-

centibus more gentium recepto, tractari ſolet. Eò verò nunc proceſſum eſt, ut arma non poſsimus deponere niſi pax contigerit votis & æquitati cauſæ noſtræ reſpondens. Datum é caſtris ad Keggum die 10. Julij. Anno 1625.

Axelius Oxenſtierna, R. S. Cancellarius.

Magnifico & Generoſo Dn. Gothardo Johanni à Tiſenhauſen, Caſtellano Vendenſi.

H XVII. Li-

XVII.

Literæ Cancellarij Regni Sueciæ, prioribus additæ, ad Dn. Castellanum Vendensem.

EXpedieram ablegatum Dominat. vestræ; Atq; ecce, offert mihi ultrò nomine vestro inspectionem, communicationemq; plenipotentiarum vestrarum, si quem hominem idoneum ad Dominat. vestram mittere cum ipso velim. Retuli S. R. M.ti Dn. meo clementissimo, qui pro pio in pacem affectu suo illicò annuit, & ut temporis lucrandi causa mitterem, qui cognosceret, jussit. Addidi itaq; ablegato vestro latorem harum, consultissimum virum, Dn. Doctorem Johannem Salvium, S. R. M.tis Secretarium, ut is plenipotentias Regis, ac Ordinum Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ inspiceret, perlegeret, exemplar earundem certum & indubium acciperet, & ad nos deferret, quò quid de futuro tractatu sperandum desperandumve sit, intelligamus. Rogamus itaq; ut Dominat. vestra cum dicto Dn. Salvio ea communicet, quæ existimat aliquid conferre posse ad negociationem pacis, & illum quantocius dimittat & expediat. Dabantur è Castris ad Keggum, Die 10. Julij. Anno 1625.

Axelius Oxenstierna, R. S. Cancellarius.

Magnifico & Generoso Dn. Gothardo Johanni à Tisenhausen, Castellano Vendensi.

XVIII. Re-

XVIII.

Replica Castellani Vendensis ad Dn. Cancellarium R. Sueciæ.

COmprecatur à summo numine Mag.ca Dno. vestra, mentem publicæ quieti, & tranquillitati studiosam, S. R. M.ti Dno. meo clementissimo dari, & quidem tali zelo virtuteq; M.tem ipsius prædicam fuisse semper, & etiam nunc esse, hac evidentissima in præsenti causa demonstratur veritate: Quod se in publicis comitijs, cum clarigatio vestra definito tempore prætermitteretur, ab armis ad pacem, publicâ ordinum supplicatione pertrahere clementissimè permiserit. Imploro Deum opt. max. qui humanas, mortalesque nostras, justo discernit judicio actiones, ut quod in nobis desideratis, ipsimet opere compleatis, & siquidem nunc plenipotentiarum authentica exemplaria, pro eo ac requisivit Mag.ca Dno. vestra, per plenipotentem suum Dn. Doctorem Salvium, certus planè de Serenissimi Regis & Domini mei voluntate, non differendo protinus transmiserim, sic & voti compos reddar, vigoreq; concessæ facultatis, per arma licet à nobis præventæ, non autem penitus dissolvendæ, salutare hoc negotium, cum Collega meo (cujus omni momento redditum mihi polliceor) propitio Numine aggredi valeam. Cardo rei suscipiendæ versatur in eo, ut studio pacis armorum cesset desiderium, & licet moris sit, bella diu continuata, in medijs armis, tractatu sopire, nunquam tamen auditum, actiones pacis ab aliquo tempore affectatas, impetratis demum plenipotentijs, alteraq; parte contrarium minus suspicante, apertâ hostilitate aggredi. Ex primo nostro cum Domino comite congressu pro plenipotentijs istis expeditum est, minimeque

H 2 nobis

nobis hic præsentibus, nedum S. R. M.ti, D. nostro clementissimo proceribusq; Reipublicæ de bellicoso Serenitatis ipsius interventu constare potuit. Clarigatio quidem præcessit, sed non definito, & in comitia nostra, quæ respectivis consilijs media suppeditassent, residente tempore, quinimo oblatione adjectâ, ut prima junii, circa quam fatali aliorum per pestem retardata præsentia nos deputati sumus, condebita pacis affectatio præcederet, quam non attentatam armis exponere, quid est aliud, quam si quod fuerit pacis propositum in optionem belli commutare? Allatæ sunt nobis plenipotentiæ à S. R. M. Dom. nostro clementissimo, quando M.ti ipsius de his, quæ nunc in Livonia geruntur, constare non potuit, sic & tali, ut inter arma vestra nos inermes, belloq; præventi tractaremus, instructione præditi non sumus, & ut impetremus, tantò majus est dubium, quantò est certius, contraria contrarijs studiis nunquam coalescere posse. Judicet altissimus rerum arbiter, rem ex parte nostra pio geri & constanti affectu, & si Mag.ca Dominat. vestra, & alij pacis amatores serenitatem ipsius eò perduxerint, ut invitante occasione neglecta, bello relicto, pacis pacatè conatus elegerit, tunc demum, quò major nunc videtur armorum oportunitas, tantò evidentius, quemadmodum asseritis, toto christiano orbi contestatum redditis. Quatenus à detestanda christiani sanguinis effusione abhorrentes, principibus, Regnisq; in septentrione, mundo undiq; bello æstuante, veram justamq; concordiam minimè invideatis, sed ex conscientiâ & juris æquitate (quæ duo rerum omnium sunt fundamenta) constanti zelo exoptetis. Expecto per præsentem internuncium meum Nobilem Davidem Köning declarationem Mag.cæ Dominat. vestræ, quæ si fuerit instructioni meæ conformis, ut

ut armis latius serpentibus non præpediar, devotè me huic salutari negocio unâ cum Mag. Dn. Collega meo, loco aliás inter nos, circa tractum Dahlensem recepto, & consueto sistam: sin minus, dolenti, ut sincerè fatear, non tantoperè de privatis meis, quam publicâ utrinq; clade communi, animo discedere cogor, negociumq; hoc committam cæli terræq; domino, qui, cum nos peste ob peccata nostra justè affligat, si & ea, quæ à vobis proficisci possunt, mala super nos permiserit, de divina eius minimè desperamus bonitate, quin sortem hanc nostram complacito providentiæ suæ tempore, misericordia desideratæ felicitatis recompensabit. Dabantur Vobolnicis 23. Julij Anno 1625.

Gothardus Johannes à Tisenhausen
Castellan. Vendensis.

Magnifico & Generoso Domino Axelio Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellario.

 Pleni-

XIX.

Plenipotentia Regis Poloniæ Sigiſmundi.

Sigiſmundus III. Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſſoviæ, Samogitiæ Livoniæq; Nec non Suecorum, Gothorum Vandalorumq; hæreditarius Rex.

Vniverſis & ſingulis notum facimus: Quod cum ſemper animum pacis atq; tranquillitatis publicæ ſtudioſum, & à ſanguinis Chriſtiani profuſione adhorrentem geſsiſſemus; non fuimus etiam unquam alieni à pacis tractatione cum illis, quibus cum nobis juſtæ belli cauſæ de Regno noſtro hæreditario provinciaq; Livoniæ intercedunt. Quin ſicut induciis ſæpius pactis reſipiſcendi, & rem æquis & honeſtis conditionibus ad pacem & concordiam deducendi ſpacium antehac dedimus, ita nunc quoq;, quin ea pacis tractatio, de qua ſæpè aliàs ultrò citroq; agitatum eſt, inſtituatur, minimè refragamur. Cumq; eandem mentem, ac utinam ſinceram, adverſa etiam pars præ ſe ferre videatur, nec ij pacis tractatus anno proximè præterito ob varia impedimenta iniri potuiſſent, propagandarum in eum finem induciarum, & cum Commiſſariis Sueticis paciſcendarum, committimus negotium Generoſis Gothardo à Tiſenhauſen, Caſtellano Vendenſi, & Magno Erneſto Dönhoff capitaneo noſtro Derpatenſi: Dantes illis plenam facultatem & poteſtatem de prorogatione induciarum ex præſcripto inſtructionis de dato Varſoviæ die 7. Iulii anni præſentis, cum Commiſſariis Sueticis tractandi & concludendi, aliaq; omnia agendi, quæ in dicta inſtructione, ad quam præſentes plenipotentiæ noſtræ literas in toto referri volumus, expreſſa ſunt. Cujus quidem inſtructionis & præſentis plenipotentiæ noſtræ vigore, quidquid præfati Commiſſarij noſtri ſtatuerint, id nos gratum & ratum habituri ſumus. Salvo tamen & precuſtodito in omnibus & per omnia jure noſtro hæreditario, in Regno Sueciæ & Magno Ducatu Finlandiæ, cui hac tractatione ullâ in parte derogatum eſſe nolumus. In quorum fidem præſentes manu noſtrâ ſubſcriptas, Sigillo Regni Communiri mandavimus. Datum Varſaviæ die 7. Menſis Julij. Anno 1625. Regnorum noſtrorum Poloniæ 38 Suecorum vero 32. anno.

Sigiſmundus Rex.

Johannes Lipskij.

Copias haſce Originali ſua reſpondere, atteſtor manus meæ ſubſcriptione, Gothardus Johannes à Tiſenhauſen, Caſtell. Venden. Idem ego quoque atteſtor hac meâ propria manu Johannes Salvius, S. R. M.tis Sueciæ Secretarius.

Plenipo-

XX.

Plenipotentiæ Senatorum Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ.

NOs inclyti Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ Senatores infra scripti, Universis & singulis quorum interest, notum testatumq; facimus: Quod cum proximè præterito anno, quo induciæ inter Regnum Poloniæ, & magnum Ducatum Lithuaniæ ex unâ, & Sueciæ Regnum ex altera partibus constitutæ erant; debiti de pace Tractatus inter eadem Regna iniri, ob temporum difficultates, multaq; impedimenta non potuissent, exploratum verò habeamus, Senatoribus Regni Sueciæ, eam de pace Tractationem cordi esse, uti nobis ex relatione Magnificorum & Generosorum D. D. Castellani Vendensis & Capitanei Derpatensis his diebus innotuit, ne à pace atq; tranquillitate publicâ, quantumvis gravissimis lacessiti injuriis, abhorrere videamur, faciendum nobis esse duximus, ut ij de pace Tractatus, prorogatis inducijs reassumantur & debitum ad effectum deducantur. Ea de causa committimus ijsdem Magnificis & Generosis Dominis, Gothardo Tysenhausen, Castellano Vendensi, & Ernesto Dænhoff, Capitaneo Derpatensi, ut cum Commissarijs Regni Sueciæ de prorogatione Induciarum, quibus durantibus de pace stabili constituendâ, abolendisq; injurijs, & amovendis belli occasionibus certi aliquid decerni possit, ex præscripto Instructionis S. R. M.tis, Domini nostri Clementissimi, agant & tractent, dantes illis plenam potestatem, de illis agendi, tractandi, concludendi, promittentesq; nos ea omnia, quæ per ipsos juxta præscriptum Instructionis S. R. M.tis Varsaviæ die 5. Julij datæ acta, tractata, & conclusa fuerint, rata habituros, salvo & per omnia præcustodito Jure hæreditario, tàm S. R. M.tis, Domini nostri Clementissimi, in Regno Sueciæ, & Magno Ducatu Finlandiæ, quam etiam Reipublicæ. In quorum fidem, præsentes manibus nostris subscriptas, Sigillis communiri jussimus. Datis Varsaviæ die 6. Mensis Julij, Anno Domini 1625.

Henricus Firley, de Dorbra, Archipisc. Gnesnensis.
Maximilianus de Przerab Castel. Syradien. Regni Ref. Moscin. Capitaneus.
Hieronymus Ciclecsky, Episcop. Plocens.
Eustachius Vollovitz, Episcop. Vilnensis.
Stanislaus Lubiensky Episc. Luceoriensis. R.P. Ulan.
Christophorus Narussevitz, Supre. Magni Ducat. Lithu. Thesaurarius.

Copias hasce originali suo respondere manu mea attestor, Gothardus Joh. à Tysenhaus. Castell. Vend.

Hoc Exemplar cum Originali concordare, attestor, ego quoq; mea manu, Johan. Salvius, S. R. M.tis Sueciæ Secratarius.

XXI.

Responsio Cancellarij Regni Sueciæ ad exhibitas Plenipotentias.

REddidit mihi à Dominat. vestrâ literas, Secretarius S. R. M.tis Domini mei Clementissimi, Dn. Doctor Salvius, simulq; exhibuit exemplaria plenipotentiarum Regis & procerum Reipub. vestræ, & quæ præterea hisce à Dominat. vestrâ adjecta fuere, bonâ fide retulit. Respondebo paucis, non ad singula, sed quæ maximè videntur esse ex usu Tractatus nostri. Etenim S. R. M.tem, Dominum meum, multis jam annis nihil magis quam pacem justam ac sinceram affectantem, facili negocio pertraximus, ut in hunc suorum Commissariorum cum Dominat. vestra eiusq; Collega congressum, quem expetitis, consenserit, non quod has plenipotentias sufficientes putet tanto negocio, sed quod occasionem nullam reducendæ amicitiæ sibi elabi velit, præsertim cum Dominat. vestra spem fecerit, congressum nostrum non sine spe boni eventus futurum, & cuncta meliori loco esse quam ante fuerunt. At quod Dominat. vestra interea ab armis cessari cupiat, id vero nec ulla ratione postulari, aut ullo modo concedi potest: Et si maximè velimus, tamen S. R. M.tem Dominum nostrum, toties delusum, atq; ideo in hisce tractatibus nihil non suspicantem, nunquam, ut se huc pertrahi patiatur, inducemus. Quid enim absurdius quam eò progressum, se armis exuere aut suspendere, nisi constet, ea non reassumtum iri? Quod si huc belli relabendum erit, id temporis omnium rerum præciocissimi, quod periit, frustrà demum periisse quæritabimur; Nec erit qui nobis vel temporis lapsum, vel occasiones rei gerendæ cum sumptibus restituet. Obstant quoq; plurima

ma & enormia vitia, ac defectus plenipotentiarum vestrarum. Primò enim Rex vester in suâ Regni Sueciæ Titulum usurpat: Deinde justam sibi belli causam de Regno, ut vocat, suo hæreditario, & provincia Livoniæ adseverat: Tum inducias pactas, ut nobis resipiscendi spacium sit: Quartò, Sueticos nos tantum Comissarios appellat, nulla facta mentione S. R. M.tis, Domini nostri Clementissimi, à quo omnem potestatem nostram habemus, & habituri sunt, quicunq; ei negocio deputabuntur: Quinto, potestas hæc prærogationem tantum videtur spectare priorum Induciarum: Et sextò, adstringitur Instructioni Regiæ, quæ quidem Dominat. vestræ loco cautionis est: Et si bona fuerit, pacis negocium promovebit. Ac ut promissa vestra hac limitari aut eludi queant, non est è re ac securitate nostra. Deniq; reservationem juris in Regnum Sveciæ ac Magnum Ducatum Finlandiæ, ut noxiam huic Tractatui, & spem omnem boni eventus præcidentem, nullo modo admittere possumus. Sunt & plures defectus in hac ipsa plenipotentia Regia, & illis respondet procerum potestas, quam non puto opere prætium esse nunc altius commemorare. Hæc saltem volui Dominat. vestræ in memoriam revocare, tum quod de ijsdem, aut potioribus actum inter nos ante multis fuit: Tum ut Dominat. vestra videat, acceptas Tabulas procuratorias non eâ fide ac securitate esse conceptas, ut vim armorum S. R. M.tis sistere queant. Id tamen persuasimus Regi nostro, ut Commissarios suos constitueret, qui congrederentur cum Dominat. vestra, ac Domino Capitaneo Denhofvio, acturi de hisce atq; alijs defectibus potestatis vestræ, & cognituri reliqua mandata vestra, ut si illa votis nostris respondeant, ne qua occasio negligatur sistendi sanguinis humani, qui aliàs necessariò profun-

 dendus

dendus erit. Idq; ut promtius S.R.Majest. velit, in causa est, quod hæc vestra plenipotentia, etsi sufficiens non est, tamen utcunq; Regem ipsum adstringere, & paulò propius quam antè hac ad rem accedere videtur, præsertim si secretior instructio, ut credimus, hanc nostram plenipotentiam, non tam averterit, quam æquis & in pace ac amicitiâ fundatis conditionibus muniverit. Quod si igitur Dominat. vestræ ejusq; Collegæ placuerit nobiscum, quos S. R. Majest. constituit Commissarios suos, certo loco congredi, & de his atq; alijs consilia nobiscum communicare, præstò erimus ad Tractum Dunensem propè Rigam, die, quem Dominat. vestra commodum censuerit, ac nobis denotaverit: Speramusq; id non fore inutile, si seriò res à vobis agi ceperit. Ac ut interim armis abstineamus, quod Dominat. vestra valdè videtur urgere, incerti quis eventus tractatus nostri futurus: Id verò S. R. Majest. persuaderi non potest. Nec quicquam novi est inter arma de pace agere, si excutiantur omnium temporum Historiæ: Adeò quidem, ut frequentius sit, etiam apud vos, qui cum vicinis vestris plerumque inter armorum strepitus tractare soletis. Cumq; ad Mithaviam tertio abhinc anno inter nos Inducias inivissemus, adeò tamen inter arma agere voluistis, ut, cum nihil minus expectaremus, idq; Inducijs ipsis adversaretur, castra tamen vestra, trajecto sine omni causa trans Dunam exercitu, in conspectu propemodũ nostro collocaretis, nec ullis rationibus, quamtumvis prægnantibus, ab hoc vestro proposito dimoveri potuistis. Quibus probè perpensis, non est quod Dominat. vestra ægrè ferat, aut se à tractatu pacis absterreri sinat, si S. R. Majest. dum in hac vivit incertitudine, armis suis progredi non destiterit. Et quam nostri tuendi necessitatem Rex ac Respublica vestra

vestra nobis imposuit, eam, si valere apud nos permiserimus, Deo atq; hominibus rectè judicantibus probatum iri confidimus. At si Dominat. vestra hoc negocium, ut videtur innuere, deseruerit, sciat id Regi Reiquæ publicæ suæ, aut nobis vitio verti posse, qui multis jam annis circumacti istiusmodi consilia in posterum admittere non possimus. Dabantur è Castris ad Kakenhausen, die 16. Julij. Anno 1625.

Axelius Oxenstierna, R. S.
Cancellarius.

Magnifico & Generoso Dn. Gothardo Johanni à Tisenhausen, Castellano Vendensi.

XXII.

Litera Castellani Vendensis ad Cancellarium Regni Sueciæ.

QUis unquam suspicione adeò iniqua contra nos duci possit, quin susceptum pacis redintegrandæ studium, & votis apud Deum Opt. Max. assiduis, & indefesso, quantum in nobis est, conatu omni, ad initium aliquod bonum, ex quo successus ulterior dependeret, perductum quam effusissimè cuperemus? Ast nulla rei gerendæ ratio & possibilitas datur, cum Magnifica Dominat. vestra, & alij Domini Commissarij partium vestrarum, eò rem non perducant, ut de pace pacatè, cessantibus armorum injurijs, agi possit. Discedenti mihi redditæ sunt S. R. Majest. Domini nostri Clementissimi, literæ, & remotioribus nunc peste sæviente locis, & sic nondum de bello moto Majest. ipsius constat. Cum autem S. R. Majest. ipsius ijsdem ad me perscribat literis; Commissarios pleno numero, circa finem Mensis augusti, sicut jam antea ex parte nostra definitum erat, huc affore, Magnificæ Dominat. vestræ significandum duxi, ut si pristino pacis zelo, toties nobis exposito, ab armis & vos desinentes, occasionem hanc re ipsa vobis gratam comprobaveritis, instarent utiq; Illust: D. proceres Mag. Ducatus Lithuaniæ, ut huic S. R. Majest. dispositioni satitfieret. Sin verò eousq; bello progressum fuerit, ut tanquam ad Commune incendium extinguendum incolæ passim undiq; convolare debeant, non videmus sanè, unde vel principium, vel occasio aliqua tractatui (quem & vos quoq; mihi scopum belli ponitis) promanere possit. Exspecto desuper Mag.cæ Dominat. vestræ declarationem per præsentium

sentium latorem, internuncium meum, qui & hæc eadem Mag.cæ Dominat. vestræ latius exponet. Dabantur Sresiollis die 11. Augusti, Anno 1625.

Gothardus Johannes à Tisenhausen
Castellan. Vendensis.

Magnifico & Generoso Domino Axelio Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellario.

Respon-

XXIII.

Responsio Cancellarij Regni Sueciæ ad Præcedentes literas Castellani Vendensis.

Vix credibile est, quenquam mortalium adeò exuisse omnem humanitatem, quin almam pacem sævo bello anteferret, cumprimis, si quis hujus sensus ad ipsum pertingeret; unde vix dubitare nobis licuit, Dominat. vestram & Illustres Proceres Magni Ducatus Lithuaniæ votis apud Deum assiduis, & conatu omni susceptum pacis negocium promotum cupivisse. Qui scrutator præcordiorum est, reddet nobis id testimonium, S. R. Majestatem, Dominum nostrum clementissimum, pacem justam & æquam tot nunc annos frustrà quæsivisse, non armis modò sed repetito sepius tractatu amicabili. Equidem rectè Dominat. vestra scribit, initium se bonum effusissimè cupijsse: At hactenus comprobavit eventus, non nos tantum, sed & Dominat. vestram, & quotquot vestratium tranquillitati operam dedistis, ne quidem tractatuum initium bonum, ne dum exitus videre potuisse: Tantum apud vos valuere osores pacis, tamquè prodigè utriusq; nostrum sanguine abutuntur, ut commiscuisse malint sacra profanis, & pati incendio absumi florentissimas etiam Regiones, quam legitimum, negocijq; magnitudini respondentem amicitiæ tractatum, & justas æquasq; conditiones admittere. Horum obstinata & utrisq; nostrum noxia iniquitas hanc capiendorum armorum necessitatem S. R. Majest. imposuit, ut cum justæ pacis studijs non esset locus, tuitionem sui suorumq; piis armis tentaret. Hæc verò necessitas, si cuncta justè rationis trutinâ ponderentur, inevitabilis, persuasit & impulit, ut avertendi longius à limitibus nostris belli, S. R. Majest. Lithuaniam cum exercitu ingressa sit. Id tamen ordines Magni Ducatus Lithuaniæ pro certo statuant, parcitum esse Lithuaniæ, nec tantum illatum detrimenti, quantum inferri potuisset, nec adeò sævitum, ut in hostes solet, quod habita ratio sit vestræ in pacem propensionis, quem ordines Magni Ducatus Lithuaniæ semper visi sunt præ se ferre. Et quod S. R. Majest. movere eos potius quem absterrere voluerit, factura nihilominus in posterum, quæ suaserit defendendi sui hostisq; atterendi ratio, si studium pacis suum desperatum intellexerit. Expetit Dominat. vestra nomine suo & procerum Magni Ducatus Lithuaniæ, ut ab armis desinamus, & de pace pacatè cessantibus armorum injurijs, agamus: Commissarios interim circa finem augusti pleno numero adfuturos. Poterant illi adfuisse primo Junij, & hos motus facilè declinasse. Nec de numero sumus soliciti, modo sint viri in Republica validi, & talem habeant statuendi ac decernendi potestatem, quæ negocio huic perficiendo sufficiat. Verum cum annuum spacium, ut priora tempora taceamus, non satis esset ad iter & præparatoria, nemo nobis vitio vertet, si justis cautisq; suspicionibus paulò magis indulgeamus. Arma igitur ad rogatum vestrum S.R.M.tas, non potest omninò seponere, ob causas prioribus nostris literis fusè insertas: nisi prius constiterit de eventu congressus nostri. Verùm ne quæ occasio aut momentum tranquillitatis & pacis reducendæ, sistendiq; sangvinis humani nobis intereat, atq; manibus elabatur, eò quidem fleximus S. R. Majest. Dominum nostrum Clementissimum, ut arma sua, quæ nunc inferre Lithuaniæ cogitat, sistere, & continere in Lithuania & Churlandia decreverit, donec Commissarij utriusq; nostrum ad finem Augusti congressi, quæ sit rerum facies in poste-

posterum futura, inter nos statuerint. Verùm cum huc sit progressus, summosq; sumptus fecerit, nec militem suum in hostico otiosum tenere sine summo suo detrimento possit: Primò Livoniam hac armorum suspensione comprehendi non vult, cum plurima in ea loca jam obsidione cincta habeat, nec incerto tractatuum eventu ejus occupationem intermittere possit. Deinde ut certi reditus ex propinqua Lithuania & Churlandia exercitui S. R. Majest. loco alimentationis, dum tractatur de pace, subministrentur & adsignentur. Ac deniq; ne quis miles vester propius quam ad Decem Milliaria castra nostra, quæ Ratzovilitzki sunt, adducatur. Æquum enim est ne accedendo ad vota vestra, & tempori cedendo, idipsum nobis fraudi sit. Hæc si placuerint, sincerè respondeatur ad diem proximum veneris, qui est duodecimus dies Augusti, stylo veteri: Si nihil fuerit responsum, aut conditiones propositæ displicuerint, progrediemur, & committemus rem nostram Deo, rerum omnium arbitro justissimo, qui causam nostram ex bonitate sua est dijudicaturus. Dabantur è Castris ad Keggum, die 5. Augusti, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna, R. S. Cancellarius.

Magnifico & Generoso Dn. Gothardo Johanni à Tysenhausen, Castellano Vendensi.

Prima

XXIV.

Primæ literæ Palatini Mscislaviensis ad Commissarios Regni Sueciæ.

ILlustribus ac Magnificis Dominat. vestris significo, me jam ad confinia Churlandiæ à S. R. Majest. Domino meo Clementissimo, & ab Illustrissimis Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ Senatoribus amandatum Commissarium, iter instituisse, breviq; venturum, ibidemque adventum Collegarum meorum præstolari velle: Qui quam primum advenerint (brevi autem omninò venturos spero) cum Illust: ac Magnificis Dominat. vestris, præparatorijs præmissis, negocium Commissionis, pacisq; tractatus ordiemur. Interim ne à parte vestra quicquam hostilitatis bellicæ nobis nostratibusque inferatur, monemus: Quæ enim de pace actio, si bellum, rapinæ, incursiones (quæ Bases & fundamina pacis convellere solent) non cessaverint? Dabantur Kiedanoviæ 24. Augusti, Anno 1625.

Janussius Skumin Tiszkieviz Palatinus Mscislaviensis, Braslaviensis, Jurborcensis, Novovolensis Capitaneus.

Illustribus & Magnificis Dominis, Regni Sueciæ Commissarijs.

Respon-

XXV.

Responsio Cancellarij Regni Succiæ ad primas literas Palatini Mscislaviensis.

COgnovi è literis nocte præterita redditis, Illust: ac Magnificam Dominat. vestram amandatam à Serenissimo Rege & Illust: Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ Senatoribus Commissarium iter ad confinia Churlandiæ instituisse, breviq; venturam: Ibidemq; expectato Collegarum suorum adventu, tum demùm nobiscum, præmissis præparatorijs, negocium Commissionis, pacisq; tractatus exorsuram, adjecta admonitione, ne à parte nostra quicquam hostilitatis vobis vestratibusq; inferatur. Detuli hoc ad Regiam Majest. Dominum meum Clementissimum, qui, licet justo pacis tantoperè expetitæ tractatu desperato, arma pro vindicanda dignitate sua, ac statu libertateq; gentis nostræ, summa urgente necessitate, ceperit; adeò tamen in justam pacem propendet, ut ejus adsequendæ, amicitiæq; cum Rege ac Republica vestra renovandæ, nullas occasiones sit neglecturus. Mihi & Collegis meis hanc curam S. R. Majest. mandavit, ut exorsam ad ogram, triennio fermè abhinc, pacis telam pertexeremus, si qui à Rege ac Republica vestra darentur Commissarij; Ideoq; me, quem aliàs S. R. Majest. ac Regni negocia, ipsaq; numeris mei ratio avocant, apud se in Castris esse voluit. Exoptarem sanè eam Illustri ac Magnificæ Dominat. vestræ & Collegis ipsius factam potestatem, & data mandata, ut non tam de præparatorijs agere, & negocium Commissionis ordiri, quam lites ipsas, causas belli, componere & determinari liceret. Et si verò ex eâ potestate, cujus exemplar antehac mecum communicavit Magnificus & Generosus Dn.

Dn. Johannes Gothardus à Tysenhausen, Castellanus, id præsagire nequeam: Tamen cum non sit verisimile Dominat. vestram ad eum modum se sæpius passuram amandari, spes tenet nos ad hunc scopum tandem collimatum iri; Ideoq; S. R. Majest. voluit, ut quamprimùm cum Illustri ac Magnifica Dominat. vestra congrederemur: Præsto ero cum iis, quos mihi S. R. Majest. adjunxit: Locus in Semigallia eligatur, utriq; parti commodus, aut si vobis placet, agamus hic ad confinia Birsarum: Diem quidem Illustri ac Magnificæ Dominat. vestræ dicerem, sed me potius in eo ejus voluntati, modò non nimium differatur, accommodabo. At quod Illustris ac Magnifica vestra Dominat. nos admonet, ut actionibus hostilitatis abstineamus, nullam sentiens de pace institui actionem posse, si bellum, rapinæ, incursiones non cessaverint: Certè eo usque mihi laudata vestra & æquitas animi est & prudentia, ut id, licet rebus vestris commodum, nobis tamen minimè consuetum, haud existimem Dominat. vestram sperare se obtenturam. Statuat de nobis è more & consuetudine gentium, & inprimis Reipublicæ suæ, cum arma in manu, & exercitum in hostico habeat, neq; id nos facere æquum putet, quod olim & nostro tempore simili in casu Respublica vestra iniquum, minusque sibi consultum duxit. Abstinebimus ne bello, in hostico constituti, incerto adhuc tractatuum eventu, & si de futuris ex præteritis judicare licet, quodammodo desperato, in quod brevi forsan relapsuri, & amissas rei gerendæ occasiones frustrà quæsturi? Persuaderi id S. R. Majest. Domino meo, nunquam poterit. Arma cepimus & intulimus Lithuaniæ, quod de pace non esset ulla relicta spes. Mallemus aliò transtulisse, quod proceres Magni Ducatus magna parte visi sunt non alieni à pace. At

 magni-

magnitudo rei, patrocinium causæ Regiæ, osorum pacis mala consilia, situs locorum, & ut verbo complectar, summa necessitas nos adegit, ut huc progrederemur, tentaturi, possintne imminentia pericula ac metuendæ florentissimarum Regionum devastationes emollire animum, quem ratio in hunc usq; diem movere nequivit. Ea tamen moderatione hactenus usi sumus, ut nobis exiguo terrarum spacio progressis, nec oppida hactenus ulla, vel pagi sint exusti, nisi quos vel Cosaccorum comoratio nobis suspectos fecit, vel casus abripuit, eosque oppidò paucos, nec quicquam raptum sit, nisi quod militi alendo suppeteret. Hæc verò moderatio eousque observabitur, dum aliqua nos spes tenet, bellum cum Rege ac Republica vestra accommodandi. At nisi brevi eius componendi firma fundamenta jacta fuerint; Sique, ut rumor manare cepit, Palatinus Vilnensis, aut quisquam alius cum exercitu adversum nos progressus fuerit, haud mirabuntur Illustris & Magnifica Dominat. vestra, cæteriq; proceres & ordines Magni Ducatus Lithuaniæ, si hanc, ne hosti nostro necessaria commodè præbeant, exorsuram locis omnibus, quò penetrare possumus, viderint. Factura itaq; Illustris ac Magnifica Dominat. vestra est rem tractatui pacis valdè proficuam & respondentem candori suo, ut cum ipsi è prioribus tractatibus optimè constent, tam ea quæ promovere pacis negocium, quam quæ id de novo turbare ac interrumpere possint, mihi quamprimùm bonæ spei aliqua indicia ostendat, ac ne ex mora quid novi impedimenti inijciatur, nosve necessitas ad duriora & acerbiora consilia detrudat, ut ad diem 23. hujus Mensis per literas vestras certior de his fieri queam. Mirum quantoperè Dominat. vestra hoc facto promotura pacis negocium est: Nec quicquam in me patiar desiderari,

siderari, ut tandem cuncta ad tranquillitatem referantur, si seriò rem agi intellexerimus, atq; ex hac rerum incertitudine, vel potius de animi Regis vestri desperatione emerserimus. Dabantur è Castris Ratzivilitzki, die 17. Augusti, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna R. Sueciæ
Cancellarius.

Illustri ac Magnifico, Domino Janussio Skumin Tiskievitz, Palatino Mscislaviensi, Braslaviensi, Jurborcensi, Novovolensi Capitaneo.

Posteri-

XXVI.

Posteriores literæ Palatini Mscislaviensis ad Commissarios Regni Sueciæ.

ANte dies aliquot Illust. ac Magnificas Dominat. vestras de adventu meo ad tractatus reassumendos, certiores reddidi; Sed cum vereor ne eæ litteræ ad Capitaneum Birsensem, Illust. ac Magnificis Dominat. vestris transferendæ missæ, alicubi hæreant: Hisce iterum compellare eas visum est: Quibus idem significo, me jam ad hanc Commissionem iter direxisse, atque in proximioribus vobis locis adventum Collegarum meorum præstolari decrevisse: Qui si ob locorum distantiam, & pestem ubique sævientem fortè paululum serius adveniant, Illust. ac Magnificæ Dominat. vestræ longinquitati & incommoditati itineris, ob luem contagiosam ubique grassantem, attribuent. Brevi tamen eos venturos spero. Sed cum Posvoliam rectâ tendere erat animus, ut & loci commoditate & vobis propinquitate usi, commodius institutam commissionem inchoassemus, didici à vestratibus illud oppidum fœdè direptum & exustum esse, in homines nullo sexus vel ætatis discrimine sævitum, templum laudi divinæ sacratum ibidem flammis absumptum, sacerdotemq; miserabiliter laniatum, villas Nobilium devastatas & in cineres redactas, multosq; captivos abductos esse: Imò & Birsarum reiteratò oppugnationem institui. Quæ omnia plusquam alienos à pace vestratium animos arguunt. Hæc verò clades quam injustè contra jura gentium, pactis violatis, & non denunciato bello, prætermissaq; clarigatione, ruptisq; inducijs, bonâ, sincerâ, & nullatenus violandâ fide, verbo quoque Christiano & militari, per me vestrosque Commissarios stabilitis, nobis inferatur, totius orbis Christiani, imò sæverissimo divino judicio judicandum relinquimus. Venimus tamen vobiscum de pace acturi. Interim à cladibus belli abstineant, neq; flammis & ferro in gentem nostram, vobis nullatenus meritam, sæviant, pacatiq; congressum nostrum expectent, deq; loco & comitatu, quo ab utraq; parte muniti Commissarij accedamus, mentem suam nobis aperiant, ut & nos nostram declaremus. Dabantur in Borsiagala 27. Augusti, Anno 1625.

Janussius Skumin Tiszkieviz Palatinus Msciflaviensis, Braslaviensis, Jurborcensis, Novovolensis Capitaneus.

POST SCRIPTUM.

Velim simulq; rogo, ut Illust. & Magnificæ Dominat. vestræ hunc præsentium latorem, Samuelem Szemiakam, Cubicularium meum, cum Tubicine maturè expediant.

Illustribus & Magnificis Dominis, Regni Sueciæ Commissarijs.

XXVII.

Responsio Cancellarij Regni Sueciæ, ad posteriores literas Palatini Mscislaviensis.

ACcepi jamdudum literas Illust. ac Magnificæ Dominat. vestræ, missas per Capitaneum Birsensem, & rescripsi de omnibus, nec est quod illis nunc addam. Nihil verò minus expectabam, quam Illust. ac Magnificam Dominat. vestram, hisce nunc redditis literis suis, tam acerbè in nos, nihil minus meritos, invehi velle, ut cladem Posvoliæ acceptam injustè contra jura gentium, violatis pactis, & non denunciato bello, præmissâq; clarigatione, ruptis inducijs, illatam confidenter asseveret, atq; inde arguat animos nostratium à pace alienos esse. Non possum satis mirari, adeò affectu abripi Illust. ac Magnificam Dominat. vestram (cujus ante hac semper mihi laudata fuit æquitas animi, & summa dexteritas) ut oblita sit, bellum nobis cum Rege ac Republica vestra fuisse jam annos viginti quinque, dato aliquoties utriq; nostrum magis respirandi spacio, quam quod certa & durabilis quies concessa fuerit. Nostro autem an vestratium vitio justa tranquillitas his Regnis denegata sit, summi orbis terrarum arbitri judicium esto: Et si res ferat, auderem conscientiam vestram adpellare. Quid igitur in nobis reprehendit Illust. & Magnifica Dominat. vestra? Durantibus controversijs, causis diuturni hujus belli; Post exitum Induciarum; Desperato tractatu pacis; Bello quoq; per literas Illustriss. Senatus Regni Sueciæ denunciato; adjecto mense integro; nec ullo Commissario vestro comparente, ingressi sumus ditiones vestras, & hanc extremam oram Lithuaniæ, Posvoliam excussimus, & pauca quædam loca, domicilia Cosaccorum, qui paulò antè facta in Semigalliam excursione quosdam nostratium, sibi fortè fortuitò obvios, miserè laniarant. Haud sævitum in quenquam est præter morem belli; Et qui se militibus immiscuerant, cum à cæteris discerni nequirent, haud mirum, si fortunam belli passi sint. Id verò Illust. ac Magnifica vestra Dominat. videtur innuere, ac si justo tempore clarigatio non præcessisset. Scripsimus ad Illust. Senatum Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ, 20. Februarij, nolle S. R. Majest. Dominum nostrum Clementissimum, teneri Inducijs ultrà primum Junij hujus anni, quod nihil seriò agi animadverteretur: Nec vitio nostro factum, quod paucis diebus ab ultimo Martij literæ nostræ redditæ sint. Quantò justiores sunt quæstus nostri, qui integrum annum & aliquot Menses frustrà Commissarios vestros expectavimus, tametsi nullo alio fine Induciæ inter nos pactæ essent; Nec quenquam ante hesternum diem adfuturum intelleximus, ut si ex actionibus utrinq; nostris de affectu in pacem judicandum sit, vestrates nemo non dixerit à justa tranquillitate alienos. Vellemus Birsas alio loco sitas, ut ex ijs non infestaremur: Nunc cum in propinquo sint, & receptaculum eorum, qui nos persequuntur, iniquum esset & ineptum, nolle suæ securitati bello gliscente prospicere. Oppugnatio verò isthæc (quam deserere, ne tempus hoc nobis pereat, non possumus, nisi de pace & amicitia certi) haud obstabit quò minùs pacatè cum Dominat. vestris congrediamur, negocium hoc salutare acturi. Locus, si ita Illustri ac Magnificæ Dominat. vestræ placuerit, non erit quisquam commodior quam inter Rigam & Mithaviam: Comitatus sit ala equitum, & pedites ducenti. Quemcunq; diem (modo tempestivè indicetur) Dominat. vestra nominaverit, dabimus operam, ut

in tempore adsimus. Nec dubito, quin, si justa potestate ac mandatis instructi accesseritis, facilè simus divinâ adjuvante clementiâ, stituri omnem ulteriorem sanguinis humani effusionem & anteversuri, præventuriq; eas, quæ videntur ingruere provinciarum devastationes ac calamitates: In quibus avertendis, quicquid possum operæ studijq;, lubenti animo collocabo. Dabantur è Castris ad Ratzevilitzki die 18. Augusti, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna, R. S. Cancellarius.

Illustri & Magnifico Domino Janussio Skumin Tiskievitz, Palatino Mscislaviensi, Braslaviensi, Jurborcensi, Novovolensi Capitaneo.

Repli-

XXVIII.

Replica Palatini Mscislaviensis ad Cancellarium Regni Sueciæ.

ACcepi responsorias Illust. vestræ ad priores literas meas Keydanis ad Illust. & Magnificos Regni Sueciæ Commissarios datas, ex quibus intellexi mentem Illust. vestræ, nimirum velle nobiscum de pace agere, bello tamen nos persequi, neque illata patriæ nostræ arma remorari. Sed cum pax & bellum sibi pugnent ex diametro, miror Illust. Dominat. vestram nobis pacis velo funestam cladem provinciæ hujus obducere velle: Mihi verò cum nihil aliud quam pacis negocium à S. R. Majest. Domino meo Clementissimo, commissum sit, de pace transacturus accedo, priorq; ad hos tractatus reassumendos cum veniam, collegas meos hic loci præstolari velim; Qui, si serius, quam & ipse arbitrabar, venerint, itineris & longinquitati & periculis, ob luem pestilentem, adscribendum est. Interim cum & ipse pacatus jam huc Szadoviam (licet non sine comitatu, qui ad tuendam dignitatem nostram Commissorialem requiritur) venerim; Nihil hostilitatis à parte vestra mihi expectandum arbitror. Quod, ut nobis caveatur, ab Illustri Magnificentia vestra requirimus. Sed si nulla nobis caveatur securitas, nec adventum collegarum meorum, vi & armis inhibitis, expectare voluerint, belloq; pacis prætextu adpetamur, omni spe pacis abjecta remeandum mihi esset: Nequæ ulteriora belli funesti his in locis incommoda expectanda. Qua in re declarationem Illust. & Magnificæ Dominat. vestræ expecto. Dabantur Szadoviæ 29. Augusti, Anno 1625.

Janussius Skumin Tiskieviz Palatinus Mscislaviensis, Braslaviensis, Jurborcensis, Novovolensis Capitaneus.

Illustri ac Magnifico Dn. Axelio Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellario, Iudici Provinc. Norland. & Lapp. Libero Baroni in Kimito, Dn. de Fyholm & Tydön, Equiti Aurato.

XXIX.

Duplica Cancellarij Regni Sueciæ ad Palatinum Mscislaviensem.

SIcuti nihil magis paci contrarium quam bellum, ita nihil vel humanitati convenientius, quam bella gerere ut pacem habeas, vel humanis gentibus usitatius, quam inter arma agere de pace, per inducias denegatâ. Belli jam dudum S. R. Majest. Dominus meus Clementissimus, pertæsus est. Passus est toties prorogari inducias, ut esset spacium controversias nostras componendi; Egerrime fert eò se necessitatis adactum, ut ni perpetuò sibi eludi velit, cladem hanc provinciæ vestræ inferre cogatur. Sed cum justum pacis tractatum non obtineret, querendam pacem inter arma, securitatiq; status sui prospiciendum putavit. Mala siq; vobis illata sunt, aut inferuntur, non nobis, sed osoribus tranquillitatis justæ in Republica vestra, meritò sunt adscribenda. Atq; utinam cæteri, qui aliquid possunt in aula vestra, tanto studio ante hac ursissent negocium hoc Commissoriale, quanto nunc Illust. Dominat. vestra eidem insistit, vix dubito quin & hæc clades aversa, & antiqua amicitia hisce Regnis jam restituta fuisset. Gratum verò est Illust. Dominat. vestram de pace transacturam accedere, & Szadoviæ Collegas suos præstolari velle. Optandum esset, eos quantocius adventare, quò citius tractatus noster initium capere, & si fata velint, finem funesto huic bello imponere possit. Nos enim incerti de exitu arma quidem deponere non possumus; At si seriò ex parte vestra res acta fuerit, multò nos ad deponenda sentietis promptiores, quam ad suscipienda fuimus. Ideoq; si Illust. Dominat. vestra, sufficientibus mandatis ac potestate instructa,

structa, judicaret è re & usu communi esse, ut hic in propinquo loco aliquo commodo mecum congrederetur, communicatum de ijs, quæ spem nobis firmam pacis futuræ facerent, veniam lubens, & existimo id non parum habiturum momenti, ad sistendas has clades. Securitati autem Illust. Dominat. vestræ, seu huc accesserit propius, seu remanserit Szadoviæ, ad suos expectandos Collegas, jussu S. R. Majest. sub fide Christiana ac verbo veritatis caveo, nihil hostilitatis ipsis ac comitatui illorum Commissoriali (quem tamen in universum non oportet excedere numerum ducentorum equitum, & ducentorum peditum) ab exercitu S. R. Majest. interea temporis inferri debere; His conditionibus, ut & nostræ securitati vicissim caveatur, & si Illust. Dominat. vestra se Szadoviâ moveat, ut id tempestivè nobis innotescat. Deniq; ne vel Comitatus debitum numerum excedat, aut sub specie Comitatus Commissorialis copiæ militares colligantur. Quod si verò Illust. Dominat. vestra sibi caveri à S. R. Majest. cupiat, cum sua Majestas nunc ad exercitum sit, non difficulter id sub antedictis conditionibus impetrabo. Hoc sibi certè Illust. Dominat. vestra persuadeat, se cæterosq; Commissarios, dummodò se bellicis molitionibus non immisceant, quocunq; loco sine omni à nostratibus periculo fore. Ego quid animi Illust. Dominat. vestræ sit, & quo loco atq; tempore congressum nostrum commodissimè institui posse sentiat, rogo ut mihi per hunc Tubicinem quantocius significet. Dabantur in Castris ad Birsas die 21. Augusti, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna R. Sueciæ Cancellarius.

Illustri ac Magnifico Domino Janussio Skumin Tischkievitz, Palatino Mscislaviensi, Braslaviensi, Jurborcensi, Novovolensi Capitaneo.

XXX.

Triplica Palatini Mſciſlavienſis ad Cancellarium Regni Sueciæ.

BElla quandoq; geri, pacis obtinendæ ſtudio, atq; inter arma de eâdem agere, gentibus uſitatum, & humanitati conveniens eſſe, non inficior; Sed quali hucuſque imò & nunc, bello impetamur, cum pacem tractaturus acceſſerim, non diſquiro, ſaltem tam infeſta patriæ noſtræ arma, extorquendi ejus cauſa, illata demiror. Pacis juſtæ, ſinceræque Regnorum tranquillitatis oſorem neminem eſſe apud nos reor, nolimus igitur aſperiori Illuſt. ac Magnificæ Dominat. veſtræ cenſuræ ſubijci, maturius nos acceſiſſe, non eſt quod Illuſt. ac Magnifica Dominat. veſtra requirat, ſat enim tempeſtivè, freti tamen transactione & cautione nos venturos rebamur, ni ſequentis anni Inducias arma veſtra antevertiſſent. Sed cum divinæ mentis ſanctio eò rem deduxerit, eiusdem judicio relinquimus. Quod verò ſecuritatem noſtram attinet, quem Illuſt. & Magnifica Dominat. veſtra fide Chriſtiana, & verbo veritatis cavet, fidimus. Sed cum Birſarũ Mœnia tàm accerbè quaſſari intellexerim, quantum vel tractatuum pacis, vel noſtræ ſecuritatis ſpei reſiduum ſit, Illuſt. & Magnifica Dominat. veſtra pro ſua ſingulari prudentia me intelligere arbitrabitur. Verùm quamprimum collegas meos habiturus ſum, cum ijs de propoſitis conditionibus, quidq; Illuſtri ac Magnificæ Dominat. veſtræ reſpondendum ſit, conſulam. Dabantur Szadoviæ 2. Septembris, Anno 1625.

Janußius Skumin Tiſchievitz Palatinus Mſciſlavienſis, Braſlavienſis, Iurborcenſis, Novovolenſis Capitaneus.

Illuſtri & Magnifico Domino Axelio Oxenſtierna, Regni Sueciæ Cancellario, & Iudici provinciali Norlandiarum & Lapponiæ: Libero Baroni in Kimito, Domino de Fyholmen & Tydön, Equiti Aurato.

Reſpon-

XXXI.

Reſponſio Cancellarij Regni Sueciæ, ad Triplicam Palatini Mſciſlavienſis.

NOn ero Illuſtri ac Magnificæ Dominat. veſtræ gravis reſpondendo ad literas veſtras, & eadem ſæpius repetendo; Hoc unum ſaltem adijciam, oppugnationem Birſarum, nec ſecuritati veſtræ, nec tractatibus noſtris officere. Etenim bellum, quod hactenus inter nos nulla ratione ſopiri potuit, eò adegit nos neceſſitatis, ut Lithuaniam ſitu proximam, atq; in hac Birſas oppugnare oportuerit: Cum tamen arma noſtra nusquam illubentius quam huc converterimus. Neminem verò ita iniquum fore cenſorem rerum putamus, ut non exiſtimet, quamvis bello flagrante, ſuæ potius ſecuritati, quam hoſtium commodis providere debere. Ideoque ſi hoſti nocendi, belliq; in hoſtico collocandi cauſa Lithuaniam ingreſſi ſumus, & Birſas in noſtram redegimus poteſtatem, nemo id jure nobis vitio vertere poterit. Ipſum quoq; Illuſt. principem Ratzevilium eâ fide & integritate eſſe novimus, ut licet animum à pace alienum nunquã præ ſe tulerit, primus tamen in acie adversũ nos futurus ſit, unde non immeritò munimentum iſthoc, ex quo nobis tantoperè noceri poterat, rati ſumus expugnandum eſſe. Nihil verò ſecuritati veſtræ derogabit, cum illi interveniente publica fide cautum ſit. Pacem verò ſcopum unicum & induciarum noſtrarum & armorum ſemper nobis propoſitum habuimus, eiq; etiamnum inhæremus, nihil moti quo vultu nos fortuna reſpiciat; Niſi veſtrates ſpem nobis, qua hactenus fovemur, omnem excuſſerint. Sunt tamen nonnulla, quæ animum S. R. Majeſt. Domini mei Clementiſſimi, in diverſa trahunt: Tergiverſatio & mora veſtratium, cuncta in longum conijciens, tum quod

M Illuſt.

Illuſt. & Magnificæ Dominat. veſtra nihil reſcripſerit, quid de die, loco, comitatu congreſſus Commiſſorialis ſentiret, nec quod maximè uſui fore rebar, tractatibus noſtris ullum indicium fecerit melioris ſpei: Ut non immeritò labatur nobis animus, nec quicquam rectius cautiusq; feciſſe videamur, quam quod nos ad deponenda arma hactenus induci paſſi non ſimus. At cum S. R. Majeſt. Domino meo, non ſit integrum diutius verſari in hac rerum incertitudine, neque muneris mei ratio permittat, tot Menſes trahere exſpectando fruſtrà Commiſſarios veſtros; Viſum mihi eſt has exarare ad Illuſt. & Magnificam Dominat. veſtram, indices voluntatis propenſionisque noſtræ in pacem, & ſimul teſtes, nos diutius in ſuſpenſo teneri nolle. Erit optionis veſtræ ad tractatum pacis progredi, ſi veſtratibus ejus cupido, & Illuſt. ac Magnifica Dominat. veſtra cum collegis ſuis juſta poteſtate, & convenientibus mandatis inſtructa eſt, vel eundē deſerere, ſi forſan pax juſta & tranquillitas gentium minus arriſerit. Quicquid nunc Illuſt. ac Magnifica Dominat. veſtra nobis dederit reſponſi, in eo fundabuntur in poſterum conſilia noſtra. Ego verò integritati veſtræ ac ſtudio pacis confido, Illuſt. & Magnificam Dominat. veſtram, apertè mentem ſuam expoſituram, nec obſcuritate verborum nos impulſuram, ut deſperata negociatione amicitiæ, ad extrema conſilia, ſecuritati noſtræ, cum detrimento veſtro proſpiciendi, detrudamur. Dabantur è Caſtris Regijs ad Birſas, die 29. Auguſti, Anno 1625.

Axelius Oxenſtierna R. Sueciæ Cancellarius.

Illuſtri ac Magnifico Domino Januſſio Skumin Tiſckievitz, Palatino Mſcislavienſi, Braslavienſi, Jurborcenſi, Novovolenſi Capitaneo.

Pala

XXXII.

Palatini Mſcislavienſis ad Cancellarium Regni Sueciæ.

IN reſpondendo ad literas meas, cum ipſa nolit, neque ego gravis eſſe volui Illuſt. ac Magnificæ Dominat. veſtræ in exprobrando veſtro nobiſcum proceſſu; hæc ſaltem brevibus Illuſt. & Magnifica Dominat. veſtra habeat, me heri accepiſſe literas Illuſtris Domini Palatini Maſoviæ, quibus de adventu ſuo me certiorem reddidit, intraq; dies aliquot huc Szadovam venturum omninò ſcio, idem quoq; de Magnifico Domino Caſtellano vendenſi compertum habeo. Quamprimùm hi advenerint, eâdem horâ de Commiſſionis inchoandæ requiſitis conſtituemus, & ſignificabimus Illuſtri Dominat. veſtræ. Dabantur 11. Septembris, Anno 1625.

Januſſius Skumin Tiſckieviz Palatinus Mſciſlavienſis, Braſlavienſis, Jurborcenſis, Novovolenſis Capitaneus.

Illuſtri ac Magnifico Dn. Axelio Oxenſtierna, Regni Sueciæ Cancellario, & Iudici Provinc. Norland. & Lapp. Libero Baroni in Kimito, Domino de Fyholmen & Tydön, Equiti Aurato.

Literæ

XXXIII.

Literæ Palatini Mſcislavienſis ad Cancellarium Regni Sueciæ.

QUanta ſpes pacis nobis relicta ſit, Birſarum oppugnationis eventus abundè docuit. Sed cum inter arma de ea tranſigendi facultatem fore tot literis declaraſtis, ne & hic meus adventus incaſſum abeat, non renuimus (licet tot tantaq; damna nobis intuleritis) ad reaſſumendos tractatus accedere, dummodò adventum collegarum meorum, quos jam in itinere eſſe mihi relatum eſt, pacati præſtolari, neque amplius innocente ſanguine abuti, tantasq; belli clades nobis accummulare velitis. Si igitur virorum Chriſtianorum juſtorumq; bellatorum titulo inſigniri vultis, cohibete hæc infeſta arma, ſiſtite ſanguinis innocui rivos ab implacabili, ſed immerito, imò injuſto veſtræ gentis in nos odio manantes: Tractatibus experiamur, utrum Regnis tranquillitas, pax populis, per vim vel arte quapiam ablata, legitimis reddi poſſunt Dominis. Illuſtris ac Magnifica Dominat. veſtra, cujus authoritatem apud veſtrates & prudentiam ſemper prædicatam norim, provideat, ut aliquid reconciliationi relinquatur, fomesq; ardori odioſo, nullis non temporibus vindicando, ſubtrahatur, bellumque hoc funeſtum ejusque rabies tantiſper ſopiatur, donec collegæ mei præſtò ſint. Jam enim eos brevi venturos, certò certiùs accepi, munitiq; juſta facultate acceſſuri ſumus, tractatumque pacis reaſſumpturi: Dummodò armorum veſtrorum ſævitia, fuſusq; & qui indies manat innocuus gentis Chriſtianæ cruor, noſtrum in pacem affectum prorſus non extinguat, ſed durioribus, gentibusq; Chriſtianis noxijs remedijs his malis noſtris mederi cogat. Verum cum mihi pacis

pacis ſtabiliendæ negocium demandatum ſit, ei duntaxat incumbo: Si autem arma veſtra inhibueritis, brevi nos pleno munero Commiſſarios, ſufficientibus mandatis, & poteſtate tantæ rei congrua inſtructos affore, certò Illuſt. ac Magnifica Dominat. veſtra ſciat, qui quamprimùm advenerint, ſtatim de loco & modo Commiſſionis cum Illuſt. & Magnifica Dominat. veſtra communicabimus. Dabantur Szadoviæ 8. Septembris, Anno 1625.

Januſſius Skumin Tiſckieviz Palatinus Mſciſlavienſis, Braſlavienſis, Jurborcenſis, Novovolenſis Capitaneus.

Illuſtri ac Magnifico Dn. Axelio Oxenſtierna, Regni Sueciæ Cancellario, & Iudici Provinc. Norland. & Lapp. Libero Baroni in Kimito, Domino de Fyholmen & Tydön, Equiti Aurato.

XXXIV.

Responsio Cancellarij Regni Sueciæ ad Palatinum Mscislaviensem, per subdelagatum D. Salvium reddita.

MUltis ad persuadendum validis argumentis Illust. & Magnifica Dominat. vestra, nos ab infestandâ Lithuaniâ retrahere conatur. At si verum fateri libet, eâ præter hostilem morem moderatione, hic versati sumus, ut licet cum exercitu ditiones vestras simus ut hostes ingressi, manus tamen propemodum vacuas omni humano sanguine habeamus, exceptis oppidò paucis, quos vel Cosaccorum Commercium, vel casus quidam neci dedit. Villas verò pagosq; nullos exussimus in hunc diem, nisi quos miles, mellis appetens, fortuito incendio absumpsit, ut immeritò Illust. & Magnifica Dominat. vestra sævitiam nostratium incuset. Nec id nobis jure ullo exprobrari potest, cum natura belli per se sit atrox, minimè verò ab Illustri & Magnifica Dominat. vestra, cujus gens vix domi sui se moderatius gerere solet, quam miles noster se in hostico gesserit; Apud hostem verò infandâ uti consuevit sævitiâ, ejusq; signa in ditionibus nostris, paucis ab hinc annis, nec dum oblivioni tradita, reliquit. Nos summa quidem necessitas in hoc bellum adversum vos extrusit. Studium verò pacis Illust. & Magnificæ Dominat. vestræ, & justorum tractatuum toto hoc tempore injecta spes, nos, ut fortunâ moderatè uteremur, nec Lithuaniam ferro atq; igne popularemur, retinuit. Quid enim Illust. & Magnifica Dominat. vestra odium gentis vestræ nostrum implacabile, immeritum, injustum adpellare non veretur? Absit à nobis placari nolle, qui tot

tot nunc annos nihil in votis habuimus magis, majorive studio quæsivimus, quam ut ratio inveniretur, salva Majestate Regis nostri, salvo statu nostro præsenti reconciliandorum animorum. Quantò id in vestrates justius conijcitur, qui nec legitimos tractatus admittere, nec placari possunt, nisi nostra servitute ac interitu satiati. Non est operæ prætium scribere, quid Respublica vestra à nobis meruerit, cum Regem suum in nos, amicos suos, nec quicquam hostile expectantes, armarit, Patrocinium causæ Regiæ in se susceperit, bello & infestis armis nos petierit, omni genere convitiorum nos prosciderit, ne in hunc quidem diem unquam abstinens verborum injurijs contumelijsq;, ut nisi justo hoc odio nostro Rempublicam vestram prosequeremur, crudelissimè omnium mortalium, neglecta fama & existimatione nostra, meritò habendi essemus. Nihil fuisset nobis gratius, quam armis quiescentibus pacatos instituisse tractatus, isque modus, ad metam perveniendi, tentatus jam per annos duodecim est, interrupta semel atq; iterum Induciarum serie; Verum hac facilitate nostra eousq; abusi estis, ut dilato de die in diem, de anno in annum negocio pacis, interim, ut priora taceamus, in postremis Comitijs vestris, ubi Commissarij evocari, & de futuro tractatu statui debuerat; Tum etiam ad exteros missis legationibus ita miserè, acerbè, & contumeliosè, tum Rex, tum proceres Reipublicæ vestræ in S. R. Majestatis, piè defuncti, parentis manes, ipsam S. R. Majestatem, & totam gentem Sueticam, per injuriam invecti sint, ut inter amicos bellum ciere nedum glissens odiorum incendium inter irreconciliatos hostes ista ratione excitare potuerint. Is vestratium affectus, atq; exinde nata de voluntate Regis vestri, ac

ac Reipublicæ desperatio nostra detrusit nos, etiam invitos, in hoc bellum; Permovitq; S. R. Majest. ut Livoniam sui juris faceret, ac belli onera in Lithuaniam transferret, quò, si minus hisce vos moveri contingeret, tandem vastitate Lithuaniæ illatâ, Livoniam tueretur, & securitati suæ prospiceret. Etsi verò S. R. Majestas graves ac solidas consiliorum suorum habet rationes, ipsaq; divina bonitas ista fœlici hactenus successu beavit, ut nisi pace ipsâ constitutâ minimè consultum videatur, cursum inhibere armorum nostrorum: Dedi tamen operam, quantum in me fuit, ut S. R. Majestatem, Dominum meum, instinctu naturali in pacem propendentem, flecterem magis, remque tandem eò deduxi, ut de suspensione armorum æquis auribus ceperit audire. Verùm cum perpetua tractatuum incertitudo, & de illorum eventu desperatio, maximi denique sumptus in militem facti, atq; id genus alia, hæc consilia nostra non parum remorentur, animumque S. R. Majest. ancipitem reddant; Visum est è re, ut Secretarius S. R. Majest Consultissimus Dominus Doctor Johannes Salvius ad Illust. & Magnificam Dominat. vestram mitteretur, quò & potestatem, quam obtinetis, suspendendorum armorum, & nos in futurum adsecurandi, tam de justo tractatu, quam id servatum iri, quod promittitur, cognoscat; Et simul intelligat, quomodo difficultatibus cæteris Illust. & Magnifica Dominat. vestra mederi velit, eaque ad nos referat. Ideoque ut Illust. & Magnifica Dominat. vestra ipsum audiat, & de cunctis quæ conducere paci ac tranquillitati existimat, rectè informet, eumq; sine morâ expediat, rogamus. Etenim licet S. R. Majest. non dum constituerit armis abstinere, spes tamen me tenet præveniri posse sanguinis humani effusionem, nosque ad pacatos tractatus redire

redire posse, si nobis sufficienter caveatur, & seriò rem agi intellexerimus. Dabantur è Castris Regijs ad Birsas die 2. Septembris, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellarius, Iudex Provinc. Norland. & Lapp. Liber Baro in Kimito, Dn. de Fyholmen & Tydön, Eques Auratus.

Serenißimi Regis Regniq; Poloniæ & Mag. Duc. Lithuaniæ Commissario, Illust. & Magnifico Dn. Janußio Skumin Tisckievitz, Palatino Mscislaviensi, Braslaviensi, Jurborcensi, Novovolensi Capitaneo,

N Literæ

XXXV.

Literæ Palatini Mſcislavienſis ad Cancellarium Regni Sueciæ.

LIcet multa cum domino Doctore Salvio collocutus fuerim, quæ fortaſsè dolor tantæ cladis, quæ verſatur ob oculos, expreſſit: tamen ſpe tractatuum reſervatâ, adventum die craſtinâ Domini Palatini Maſſoviæ expecto, communiq; ſententiâ literis Illuſtris Magnificæq; Dominationis veſtræ reſponſuri ſumus. Dabantur Szadoviæ 14. Septemb. Anno 1625.

Januſſius Skumin Tiſckieviz Palatinus Mſciſlavienſis, Braſlavienſis, Jurborcenſis, Novovolenſis Capitaneus.

Illuſtri ac Magnifico Dn. Axelio Oxenſtierna, Regni Sueciæ Cancellario, & Iudici Provinc. Norland. & Lapp. Libero Baroni in Kimito, Domino de Fyholmen & Tydön, Equiti Aurato.

PRæter literas ſupraſcriptas D. Salvius in mandatis habebat, ut cognoſceret & inſpiceret plenipotentiam Palatini Mſcislavienſis, & ſimul ſi hunc & reliquos Commiſſarios (quos interea credibile erat adveniſſe) inclinatos inveniret ad juſtum pacis tractatum, ut ſuſpenſionis armorum (quam tantoperè affectare videbantur) fundamenta collocaret, & congreſſum Commiſſariorum, aut ad minimum Cancellarij Regni Sueciæ ac Palatini Mſcislavienſis, naturandi negocij cauſâ, urgeret. At præter has ſequentes literas, & quoſdam verbales rixas & contumelias nihil retulit.

Literæ

XXXVI.

Literæ Commiſſariorum Polonicorum ad Cancellarium Regni Sueciæ.

UT fidem promiſſis exſolvamus, ſignificamus Illuſt. veſtræ, jam tractatus pacis, favente Numine, ordiri velle, quamq; primum die hodierna unà convenimus, expedivimus ad Illuſt. veſtram ſubdelegatos noſtros, Generoſum Dn. Paulum Puryna, & Nobiles Dn. Johannem Chabovvski, & Dn. Joannem Ottonem Droph, quibus commiſimus, ut locum commodum communi congreſſui noſtro una cum delegatis à parte veſtra eligant, deq; comitatu quo utrinq; ſtipati accedamus, conſtituant. Qui quidquid de utroq; (juxta ſpeciale noſtrum præſcriptum) conſtituerint, id ratum habituri ſumus. Quamprimùm autem de loco & comitatu certum quid habuerimus, de tempore congreſſus noſtri facile inter nos conveniet. Sed ne quidpiam diſcriminis ſecuritati noſtræ Commiſſoriali obveniat, ſpeciali diplomate Principalis veſtri cautum eſſe volumus & ab illuſtritate veſtra requirimus. Dabantur Szadoviæ 16. Septemb. Anno 1625.

Adamus Koſſobucki Palatinus Mazoviæ, Viſnenſis Tenutarius.

Januſſius Skumin Tiſckieviz Palatinus Mſcillavienſis, Braſlavienſis, Jurborcenſis, Novovolenſis Capitaneus.

Illuſtri & Magnifico Dn. Axelio Oxenſtiern, Regni Sueciæ Cancellario, Iudici Provinciali Norlandiarum & Lapponiæ, Libero Baroni in Kimito, Dn. de Fyholmen & Tydön, Equiti Aurato.

Reſpon-

XXXVII.

Responsio Cancellarij Regni Sueciæ, per Subdelegatos Polonicos Commissarijs Polonicis reddita.

AUdio Illust. Dominat. vestras convenisse, & tractatus pacis ordiri velle. Optatissimum id rerum omnium nobis accideret, si non tam ordiri, quam conficere salutare hoc negocium liceret. Constitui meos, qui cum ablegatis vestris, de loco congressui nostro eligendo, agerent, illis inter se non convenientibus visum mihi est, post diem unum alterumve per subdelegatum meum mentem meam Illust. vestris explicare, atq; eo ipso de tempore congressus nostri statuere. Quid de comitatu nostro utrinq; Commissoriali sentiam, exposui ante, ut sit ducentorum Equitum, & totidem peditum, idq; cum Illust. vestris intelligam placere, nihil est quod consilium mutem. At ne quid discriminis obveniat securitati vestræ Commissoriali, providebo speciali diplomate S. R. Majest. Dn. mei clementissimi, ea conditione, ne sub specie ac securitate dicti comitatus Commissorialis copiæ majores cogantur, in præjudicium rerum nostrarum, de quibus omnibus quantocius Illust. vestras certiores faciam. Dabantur è Castris Regijs ad Birsas die 10. Septemb. Anno 1625.

Axelius Oxenstierna R. S. Cancellarius, Iudex Provincialis Norlandiarum & Lapponiæ, Liber Baro in Kimito, Dn. de Fyholmen & Tydön. Eq. Auratus.

Illustribus & Magnificis Dominis Commissarijs Regni Poloniæ, Magniq; Ducatus Lithuaniæ.

Literæ

XXXVIII.

Literæ Cancellarij Regni Sueciæ, missæ cum subdelegatis suæ illust. ad Commissarios Polonicos.

QUod promiseram hesternâ die, me quantocius subdelegatos meos, qui cum illustritatibus vestris de loco congressus nostri, ac tempore statuerent, expediturum, id nunc missis Generoso & consulto Arvido Horn, locumtenente Tribuni militum Careliorum, & Doctore Johanne Salvio, S. R. Majestatis, Domini mei Clementissimi, Secretario, exsolvendum duxi. Displicere Illustribus Dominat. vestris locum ante hac à me congressui nostro destinatum, inter Rigam & Mithaviam, intellexi. Nec inficior, cuncta exactè ponderans, illum difficultatibus plurimis septum esse, ideoq; nolui eidem obstinatè insistere. Magis quidem probarem, ut hic loco aliquo commodo & propinquo congrederemur. Verùm cum Illust. Dominat. vestræ interim abstineri omni excursione cupiant; Nobis verò militem in hostico, procul à territorijs nostris detinere, quo minus vitæ alimenta belli more querat, non sit integrum: Idcirco ut pacati instituantur tractatus, nullo metu, ne pacis cogitationes armorum strepitu interturbentur, visum Sacræ Regiæ Majestati Domino meo est, nullum commodiorem locum, & ab armis nostris tutiorem, quam territorium Selsburgense reperiri posse: Id si Illust. Dominat. vestris placuerit, poterit illud ab omni excursione militis, tam Suetici quam Poloni, mutuo consensu nostro liberari, & per subdelegatos nostros, locus utrique nostrum commodus seligi, sicuti de his atq; alijs dicti subdelegati nostri mentem nostram uberius explicabunt. Ipsi quoq; reddent

 Illustri-

Illustritatibus vestris Sacræ Regiæ Majest., Domini mei, diploma securitatis, Illustribus Dominat. vestris, & justo ipsorum comitatui Commissoriali attributæ, atq; præstandæ bona fide. Nec dubitamus, quin & Illust. vestræ, securitati meæ, collegarumq; meorum & nostro Comitatui benè provideant & caveant præstandæ à Republica vestra eiusq; Exercitu, æquè ac privatis quibuscunq;. Dabantur è castris ad Birsas die 10. Septemb. Anno 1625.

Axelius Oxenstierna R. S. Cancellarius, Iud. Provincialis Norlandiarum & Lapponiæ, Liber Baro in Kimito, Dn. de Fyholmen & Tydön. Eq. Auratus.

Illustribus & Magnificis Dominis Commissarijs Regis Regniq; Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ.

Diplo-

XXXIX.

Diploma securitatis Commissariis Polonicis præstandæ.

NOs GUSTAVUS ADOLPHUS, Dei gratia, SUECORUM, Gothorum, Vandalorumque Rex, Magnus Princeps Finlandiæ, Dux Esthoniæ & Careliæ, Ingriæque Dominus. Omnibus & singulis, quorum interest, vel quomodolibet interesse potest, notum testatumque facimus, quod cum Commissarij Regis & Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, Illustres & Magnifici viri, Dn. Adamus Kossobucki, Palatinus Mazoviæ, Visnensis Tenutarius, Dominus Janussius Skumin Tisckievitz, Palatinus Mscislaviensis, Braslaviensis, Jurborcensis, Novovolensis Capitaneus, nobis significarint, injunctum sibi atque collegis suis, data â Rege Regnoque Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ justâ potestate, ac sufficientibus mandatis, ut pacis tractatum cum nostris Commissarijs adgrederentur. Ut itaque tantò securius, sine ullo periculo, negocium hoc salutare ordiantur, continuent & ad bonum finem perducant: Permittimis illis hoc nostro securitatis Diplomate, ipsos universos & singulos, cum Comitatu suo ducentorum Equitum, & Ducentorū peditum, cunctisq; bonis ad ipsos pertinentibus, tutò ac sine omni periculo, ipsis à nostratibus imminente, ire, commorari, cum nostris Commissariis congredi, redire, & se vicissim ad sua recipere posse, ac debere. Vetamus itaq; & severè prohibemus omnibus & singulis, qui nobis obsequij & subjectionis vinculo tenentur, ne dictis Dominis Comissarijs in suo ad nostros adventu, commoratione & reditu, quicquam impedimenti, molestiæ aut periculi,

quoad

quoad eorum personas, comitatum vel bona adferant, sub severæ nostræ animadversionis pœna. In quorum omnium fidem, robur ac securitatem, hasce manu & sigillo nostro Regio confirmavimus. Quæ dabantur in Castris ad Birsas 10. Septembris, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna, R. S.
Cancellarius.

Illustribus & Magnificis Dominis Commissarijs Regis Regniq; Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ.

Cum in reditu essent subdelegati Domini Cancellarij Regni Sueciæ, intercepti fuerunt per quosdam Cosaccos & abducti; Unde factum ut tractatus omnis interrumperetur, nec ullæ literæ commutatæ de hoc negotio sint, priusquam subdelegati tandem redderentur. Interim verò ceptum est agi de subdelegatorum restitutione, ut sequitur.

Literæ

XL.

Literæ Cancellarij Regni Sueciæ ad Commissarios Polonicos, de interceptis & reddendis Subdelegatis.

Misi octiduo abhinc Subdelegatos meos ad Illustres Dominat. vestras, exemplo vestro inductus, & ut ceptum pacis redintegrandæ negocium, quod vos ordiri velle testabimini, urgerem: Illos audio in reditu suo à vestratibus contra jus Gentium atque omne fas nefariè invasos, spoliatos, in servitutem abductos. Vix est Gens ulla tam barbara, quæ legatorum corporibus ac rebus non pepercerit. Tubicines certè omnium Gentium more, veluti nuncij communes, ubivis terrarum, inter populos etiam summo flagrantes odio, tuti semper securique fuere. Horum igitur securitate sublatâ, ac simul omni communicatione inter nos evanescente, quid imposterum, nisi mera barbaries futurum? Nunquam nobis persuadere potuimus, jus Gentium in nostris Subdelegatis ac nuncijs violatum iri: Eoque facto, nihil unquam fecimus cautius, quam quod arma nostra, ad rogatum vestrum, hoc anno non disposuerimus. Ego nunc quidem Tubicinem ad Illust. vestras mittere abstineo, ne iterata nobis inferatur injuria: volui tamen hunc captivum vestratem liberum dimittere, cum hisce meis literis, ut si injussu vestro, Subdelegati mei abducti sint, reducantur ad nos, & in istos violatores fidei publicæ supplicium statuatur: Aut si tolli omnem inter nos imposterum communicationem velitis, ut hoc tempestivè intelligam, ne vestratibus nobis inferendæ injuriæ occasionem præbeamus,

O

mus, noſtratesq; innoxios violentiæ hoſtili obijciamus. Dabantur è Caſtris Regijs ad Baudſchium die 17. Septembris, Anno 1625.

Axelius Oxenſtierna R. S. Cancellarius, Iudex Provincialis Norlandiarum & Lapponiæ, Liber Baro in Kimito, Dn. de Fyholmen & Tydón. Eq. Auratus.

Illuſtribus & Magnificis Dominis Commiſſarijs Regis Regniq́; Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ.

Prio-

XLI.

Priores literæ Cancellarij Regni Sueciæ ad Campiducem Magni Ducatus Lithuaniæ, Principem Radzevilium, de captivorum liberatione.

EX libero homine ſervum in bello fieri, atrox quidem & grave, ſed ſuetum moreq; Gentium receptum eſt. Nihil verò humanas Gentes magis decet, quam recordatione variantis fortunæ, ac cum in cæteris rebus caducis, tum in bello colludentis, in captos non ſævitiâ ſed lenitate certare; & quos Rerumpublicarum concertationes ex nativâ ingenuitate in ſervitutem detruſerunt, de ijs reſtituendis & liberandis potius, quam longâ graviq; ſervitute premendis cogitare. Eò adducta Sacra Regia Majeſtas, Dominus meus Clementiſſimus, quosdam veſtratium, qui in manus noſtras venêre, tàm nobiles quam oppidanos, paucis abhinc diebus liberos eſſe juſſos, ſuis penatibus reſtituit. Quosdam verò qui ſua nomina Coſſacconibus dederant, hactenus retinuit in cuſtodia, ut eſſent qui commutatione captivorum inſtituta, noſtrates, ſi qui caperentur, ſervitute liberarent. Cum igitur intelligam, noſtratium quosdam ad Nerftam atq; alibi in manus Illuſt. veſtræ veniſſe, confido humanitati Illuſt. veſtræ, illos in liberali cuſtodia haberi: Juſſuq; Sacræ Regiæ Majeſtatis hiſce commutationem captivorum Illuſt. veſtræ offerre volui, adſcriptis in ſchedula eorum, qui apud nos detinentur, nominibus, haudquaquam dubitans Illuſt. veſtram pari humanitate nobis reſponſuram, ſignificatoq; Captivorum noſtratium numero, in utrosq; commiſeratione, & ſuos liberaturam & noſtrates dimiſſuram.

 Ego

Ego autem ut de hisce, & qui jam nostratium apud vos detinentur, certior fiam, villicum Generosi Domini Korfij cum conditione redeundi, ni nostratium aliquem suæ conditionis liberum fecerit, dimisi. Dabantur è Castris Regijs ad Baudschium, die 17. Septembris, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellarius, Iudex Provinc. Norland. & Lapp. Liber Baro in Kimito, Dn. de Fyholmen & Tydön, Eques Auratus.

Illustrissimo principi Domino Christophoro Ratzevilio, Campiduci Magni Ducatus Lithuaniæ, &c.

Poste-

XLII.

Posteriores literæ Cancellarij Regni Sueciæ ad principem Radzevilium, Campiducem Magni Ducatus Lithuaniæ.

EMissos quosdam Equites nostros Baudschenburgo, cum ex eo non sint reversi, credibile est in manus vestratium incidisse. Putavi autem humanitatis nostræ esse, inquirere de conditione eorum, ut vel cæsis fortiter pugnantium laus adscribatur, vel captivis de redemptione prospiciatur. Nec ambigo Illust. vestram virtutem in hoste dilecturam, miseri verò hominis, ut est captivus, statum calamitosum commiseraturam, ideoq; non difficulter nobis significaturam, quo loco dicti Equites nostri sint, & si qui adhuc in vivis sunt, illos vel commutatione institutâ, vel justò precio interveniente, libertati pristinæ, ac nobis restituturam.

Præter hoc occurrit mihi aliud Epistolæ argumentum, magis etiam movens. Commearunt æstate præteritâ plurimi nuncij ac literæ inter me & initiò Magnificum Dominum Castellanum Vendensem; deinde Illustrem Dominum Palatinum Mscislaviensem: Hi subinde fecerunt spem adventus properi Commissariorum, interim injicientes mentionem quorundam tractatus futuri præparatoriorum.

Advenit tandem Illustris Dominus Palatinus Masoviensis, qui potestatem ac mandata secum ferre dicebatur, atq; hic cum dicto Domino Palatino Mscislaviensi, missis illicò tribus Nobilibus Subdelegatis suis ad me, & de loco congressus agere cepit, & Diploma securitatis, à Sacra Regia Majestate, Domino meo Clementissimo, expetivit, atque sententiam nostram de comitatu promi rogavit.

gavit. Excepi illos, & dimisi qua potui, ac conveniens erat, humanitate; Cumq; mihi nonnulla obsisterent, quo minus ad singula tàm repentè mentem possem explicare meam, intra biduum me, missis Subdelegatis meis, responsurum recepi. Invitatus ergò exemplo Commissariorum vestratiū, subnixus fide publica, & humanitate gentis vestræ, nihil minus expectans, quàm jus Gentium, inprimis dum Tractatus pacis uterq; nostrum & velle & urgere visus est, in nostratibus violatum iri, ut promissum meum exsolverem, biduò post meos ablegavi, & misso expetito Diplomate securitatis, quid sentirem de loco & tempore congressus, ac comitatu utriusq; nostrum, candidè explicui, feciq; illis potestatem, si Commissarij vestrates seriò rem urgere viderentur, nonnulla de armorum depositione agendi. In horum reditum conjectis consilijs de pace nostris; ecce delapsus unus alterve comitum refert, Subdelegatos meos in reditu à vestratibus invasos, spoliatos, abductos, nec literarum Commissorialium, nec Tubicinis adjuncti habito respectu! Initio ambigebatur, possetnè tantum facinus cadere in Gentem Lithuanicam, donec rumor temporis lapsu firmatus, omnem nobis dubitationem exemerit. Scripsi eâ de re Commissarijs vestratibus, abhinc octiduo, & ut redderentur nobis Subdelegati mei, quos injussu illorum abductos credebam, rogavi; Verùm cum nec hi reddantur, nec responsum acceperim ullum, conjectare licet, injectam tantâ cum asseveratione spem congressus Commissorialis, non è tranquillitatis, sed arma nostra differendi studio, prognatam; Postquam appareat, vindictæ cupidinem in tantum exarsisse, ut fides publica, unicum societatum humanarum vinculum, & jura Gentium negligantur. Nos verò nunc demum patet, nihil vel fecisse justius, vel cautius, quam quod tractatibus hucusq; usitatis diffisi simus, cum ob nudam privatorum homi-

hominum calamitatem, indignum certè præmium, Reipublicæ fides vacillet. Si displicent tractatus pacis, significetur id nobis, & abstinebimus literarum, legationumq; commercio; sin placent, agatur nobiscum ex fide: Neutrum rejectura S. R. Majest. Dominus meus Clementissimus est. Arma enim ut necessitate coactus sumpsit sui tuendi, & ad justum tractatum perveniendi causa: Ita nihil exoptat magis, quam eò inclinari posse animos vestratium, ut tranquillitas horum Regnorum, justâ minemeq; dubia pace efflorescat. Hæc celare Illustritatem vestram nolui, tum quod studium pacis & candor vester mihi spectatus sit, tum quod nesciam, quid cæteri facturi sint, certâ spe Illustritatem vestram id enixuram & effecturam, ut Subdelegati mei, Generosus & Consultus Arvidus Horn, locum tenens Tribuni militum Careliorum, & Doctor Johannes Salvius, S. R. Majest. Secretarius, suæ libertati, & nobis redditis rebus ablatis, quantocius restituantur. Habebit id plurimum momenti ad procurandum negocium pacis, testabiturq; Illustritas vestra, displicuisse sibi hanc violationem Subdelegatorum meorum, atq; ut illi præter cæteros fidamus efficiet. Dimisi cum literis hisce meis Captivum vestratem, eiq; Tubicinem adjunxi, ut & de Captivis nostratibus cognoscerem certius, & an Illust. vestræ operâ Subdelegati mei liberari queant. Ideoq; rogo, ut Tubicen remittatur certo cum responso quantocius, eadem officia humanitatis candorisq; à nobis expectando. Dabantur è Castris Regijs ad Mithaviam die 26. Septembris, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellarius, Index Provinc. Norland. & Lapp. Liber Baro in Kimito, Dn. de Fyholmen & Tydön, Eques Auratus.

Illustrißimo principi, Domino Christophoro Ratzevilio, Campiduci Magni Ducatus Lithuaniæ, &c.

XLIII.

Responsio Principis Radzevilij ad primas literas Cancellarij Regni Sueciæ.

AMbiguum sanè esse videtur, utrum solito inter legitimè belligerantes more, etiam in bello contra datam fidem pactaque conventa à vobis moto, de commutandis Captivis tractare conveniat. Attamen ne minus humaniores erga miseros Captivos videamur, non difficulter requisitioni Dominat. vestræ annuimus, & totidem eiusdemque conditionis Captivos vestrates libertate donaturi sumus, quotquot nostratium (quamvis nullus illorum, quorum nomina mihi transmissa, sit ex Exercitu nostro) liberos feceritis. Si igitur volueritis commutationem hanc nobiscum instituere, de loco & tempore inter nos conveniat primò, ubi & quando id fieri debeat. De numero verò Captivorum vestratium (quorum multi sunt) nihil certi significare nunc possumus, in varijs enim locis detinentur, sed etiam me tacente facilè potestis ex vestris Officialibus cognoscere, quinam & quot quolibet die de Exercitu vestro desiderentur. Dabantur die 5. Octobris, Anno 1625.

Christophorus Radzevil, Dei gratia, Dux Birsarum & Dubincornm, S. R. Imperij Princeps, Exercituumq; Magni Ducatus Lithuaniæ Dux Campestris.

Christophorus Radzevil.

Illustri Domino Axelio Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellario, Libero Baroni in Kimitho.

Respon-

XLIV.

Responsio Principis Radzevilij ad posteriores Literas Cancellarij Regni Sueciæ.

JAm sufficienter de commutatione Captivorum in prioribus meis Dominat. vestræ respondi: Nunc quod attinet detentionem Subdelegatorum vestrorum, miramur sane jus Gentium per nos violatum tam audacter nobis obijci. Errore quidem militis mei ad arcendas vestratium hostiles incursiones missi, sed culpa Subdelegatorum vestrorum accidisse fatendum est, qui à vobis ad Illustres Dominos Commissarios nostros ablegati, in reditu suo nostratibus facilè obnoxij cum essent, antequam fines Curlandiæ ingrederentur, semotis ab Illustri Domino Palatino Mscislaviensi securitatis causa missis deductoribus, nulloq; salvo conductu muniti intra fines Magni Ducatus Lithuaniæ longius & petulantius diversati, advenientibus insuper quibusdam nostri Exercitus hominibus, Classico non Subdeledatos sed hostes sese testati sunt. Verùm cum factum idque culpa ipsorummet infectum fieri nequeat, ne quid in me desiderari patiar, quamprimùm è Castris nostris, quæ hinc dissita sunt, ad Illustres Dominos Commissarios nostrates remittentur; Eos verò quicquid partium ipsorum fuerit, facturos arbitramur, dummodò juris gentium violationem, bello potius nobis injustè contra pacta illato, non Subdelegatorum per errorem detentione pensitetis. Tui verò muneris erat, Domine Cancellarie, obviare quò minus induciæ contra jura gentium violarentur, vel saltem cum toties ab Illustri Domino Palatino Mscislaviensi monita & requisita, deq; adventu Commissariorum nostratium certior reddita Dominat. vestra fuerat; à bello contra fas & æquum,

pen-

pendentibus inducijs nobis illato (quò pacem fallaci spe extorquere nobis præsumsit) Principalem vestrum retrahere, neq; tantum innoxij sanguinis fusum neq; fundendo ansa præbita fuisset, imò nec in hanc sortem Subdelegati vestri decidissent. Dabantur ex Castris 14. Octobris, Anno 1625.

Christophorus Radzevil, Dei gratia, Dux Birsarum & Dubincornm, S. R. Imperij Princeps, Exercituumq; Magni Ducatus Lithuaniæ Dux Campestris.

Christophorus Radzevil.

ADIUNCTA SCHEDULA.

Eques hic Johannes **Kittring** *ea ratione à nobis liber dimittitur, ut aut ipsem: t iterum ad nos redeat, aut Nobilem Wilhelmum* **Zolderbach** */ in locum sui liberum impetret, alioquin nulli Captivorum vestratium libertas à nobis donabitur.*

Replica

XLV.

Replica Cancellarij Regni Sueciæ ad responsionem Principis Radzevilij.

EOdem fermè momento redduntur mihi binæ vestræ literæ, priores de captivis commutandis, posteriores de abductis Subdelegatis nostris. Haud displicet ut institutá Captivorum ejusdem conditionis & pari numero commutatione illi utrinq; donentur libertate, nevè mora afflictis molesta Calamitatem horum magis adaugeat, visum est Captivorum accelerare liberationem, dimisso Nobili Reinholdo à **Grothausen** / ea conditione, ut aut Vidigum **Maas** apud vos detentum liberum faciat, aut in Captivitatem ad nos redeat. Eidem quæ mens nostra sit, de cæteris exposuimus.

Nihil minus verò exspectabam, quam Subdelegatos meos à milite vestræ Illust. abductos esse: Ac credebam si errore intercepti essent, ut fatetur Illust. vestra, eum recognitâ indilata eorundem remissione compensatum iri. Nunc cum tanto tempore detineantur, causa nobis gravissima est, quod in Subdelegatis nostris fidem publicam ac jus gentium violatum & audacter & verè queramur. Quid enim commiserunt Subdelegati nostri, ut in illis jus gentium violaretur? Scilicet, intra fines Magni Ducatus Lithuaniæ pauci homines modesti literatique & inermes unam noctem semotis deductoribus petulantius versati, classico se non Subdelegatos sed hostes esse testati sunt. Credo id Subdelegatis nostris, quod olim ovi lupo aquam turbanti fabulantur, contigisse. Signum verò Tubæ datum pro classico accipi, miror, cum eo loco feciales se potius more gentium sueto declararint;

 Dedu-

Deductores verò constat remotos, non Subdelegatorum meorum vitio, sed quod comitari ulterius nollent, ut id quasi ex composito factum suspicari liceat. Nec video, quem salvum conductum nostratibus dari velitis, cum ipsi à nobis pari exemplo invitatis missi essent, ut ad Commissarios vestros expetitum Diploma securitatis deferrent, nobisq; caveri facerent, deq; cæteris agerent futuri tractatus præparatorijs. At si nimiâ confidentiâ candoris vestri nostra errassemus, saltem vestrates à violandis nostris Subdelegatis id retrahere debuisset, quod primi à polonicis Commissarijs ac sæpius sollicitati, eandem fidem ac securitatem nostratibus servatum iri, quam vestratibus exhibuimus confisi simus. Ast quod muneris mei Illust. vestra adserit fuisse obviare, quò minus Induciæ contra jus gentium violarentur, id nemine monente lubens agnosco: Bellum verò à nobis motum contra pacta conventa & pendentibus Inducijs, tam audacter & contra conscientiæ stimulos adfirmari demiror. Hoc unicè à S. R. Majest. Domino meo Clementissimo, tot annos, nunc armis, nunc pacis tractatibus actum, ut justa & secura tranquillitas sopitis controversijs obtineretur. Hic finis, hic scopus suspensorum armorum: Hæc sola causa cur prorogata Anno 1624. armorum cessatio, ut scilicet spacium esset pacatos tractatus instituendi. Dicat Illust. vestra (eius enim conscientiam adpello) potuerit-ne huc flecti Rex vester? Literæ Senatorum Regni Poloniæ Magniq; Ducatus Lithuaniæ præterito anno, & hoc, nobiscum commutatæ, sint interpretes voluntatis Regis Reiq; publicæ vestræ. Monitis quoq; & requisitis Commissariorum vestrorum hujus anni, dum potestate ac mandatis agendi non muniuntur, omniq; effectu destituuntur, quousque insistere licuerit, non ignoramus. Ac si

si quis dubitaverit, quorsum isthæc directa fuerint, nunc consideratis temporum momentis ac iniquâ Subdelegatorum nostrorum violatione, causam ambigendi, ni desipiat, nullam habet. Certè Commissarios vestros, qui adeò instanter, & si nulla potestate muniti, nos hoc anno ad suspensionem armorum instigarunt, urgereque tractatum videri voluerunt, miror tractare de novo voluisse, si nos pactorum desertores, ut vestra Illust. judicassent. Hæc conferat Illust. vestra cum paucorum dierum morâ, quæ reddendis clarigationis literis, etsi sat maturè scriptis, sed in itinere ob anni ætatem temperiemque graviorem justo diutius detentis intercessit; Et judicet annè isthæc rerum consiliorumque vitia, solennium illorum neglectui, si quid in eo notari posset, præponderent; Inprimis cum induciarum tempore, ubi animi ad pacis studia parari debebant, Rex vester ac Respublica tam in comitijs suis quam ad exteros Principes immanem injuriarum contumeliarumque cumulum in S. R. Majest. Dominum meum, ne quidem pijs manibus defuncti Regis nostri parcendo, & gentem nostram conjecerint, quæ ferre, quicunque rerum exitus futurus sit, crudelissimum esset. Id igitur quod mei erat numeris feci, pacis justos tractatus urgendo, & induciarum & belli tempore, ne quid innoxij sangvinis funderetur; Ac si id partis adversæ obstinatione impetrari non posset, ne Rex meus neve Regnum, vanis tractatibus circumactum hostibus suis obnoxium redderetur, Senatorum Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ fuerat Regem suum ad pacis, tranquillitatisq; cogitationes serias aliquando inducere, neque nobis belli necessitatem imponere. Nec minus tui muneris est Illust. Princeps, studio omni præcavere, ne nobis ansa de fide candoreque gentis vestræ ambigendi præbeatur, ac si

 quid

quid in causa communis tranquillitatis, vel malevolorum hominum odio, vel per errorem commissum, ut id justis tractatibus, & remissis quantocius Subdelegatis nostris resarciatur. Dabantur Rigæ, die 13. Octobris, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna R. S. Cancellarius, Iudex Provincialis Norlandiarum & Lapponiæ, Liber Baro in Kimito, Dn. de Fyholmen & Tydön. Eq. Auratus.

Illustrißimo principi ac Domino, Christophoro Ratzevil, Duci Birsarum & Dubincorum, S. R. Imperij Principi, Exercituumq; Magni Ducatus Lithuaniæ Duci Campestri.

Literæ

XLVI.

Literæ Principis Radzevilij ad Cancellarium Regni Sueciæ, reddita per Subdelegatos remissos.

INduxeramus in animum D. D. Subdelegatos vestros, sicuti in prioribus literis nostris ad Dominat. vestram perscripsimus, ad Illust. D. D. Commissarios nostros certas ob causas dimittere. Nunc verò cum ob sævientem pestem Szadova, ubi hucusque comorabantur moverint, & in longinquiora loca secesserint, fidem nostram & ingenuum candorem, quem semper professi sumus, ut etiam nunc testaremur, eosdem D. D. Subdelegatos vestros salvos & incolumes ad vos deduci curavimus, in eam spem adducimur fore, ut quicquid errore & culpa vestrarium factum sit, id neq; nobis, neq; genti nostræ vos imputaturos. Dabantur ex Castris, die 24. Octob. Anno 1625.

Christophorus Radzevil, Dei Gratia, Dux Birsarum & Dubincorum, S. R. Imperij Princeps, Exercituumque Magni Ducatus Lithuaniæ Dux Campestris.

Illustri Domino Axelio Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellario, Libero Baroni in Kimitho.

Respon-

XLVII.

Responsio Commissariorum Polonicorum ad Cancellarium Regni Sueciæ, tradita Subdelegatis suæ Illustritatis interceptis & nunc dimissis.

Subdelegati Illust. vestræ hesterna die ad nos venere, redditisque eius literis cætera sibi commissa exposuêre. Ut ad singula responderemus, necessitas ipsa expressit. Inprimis igitur quod locum quem Illustris Dominat. vestra in territorio Selsburgensi nostro congressui destinat, attinet, validæ, quæ nobis exprimendæ non sunt, vetant rationes, quominùs eò induci patiamur. Hic enim intra Posvoliam & Birsas, primò nobis conveniendum erat, ut modum ordiendorum tractatuum vobis aperiremus. Qui locus, si ipsis arriserit, perque literas Illust. vestræ significatum id nobis fuerit, Subdelegatos nostros, unà cum Subdelegatis Illust. vestræ, designandi ejus causa, ablegaturi sumus. Quod verò comitatum attinet trecentorum Equitum centumq; peditum, admittimus.

Diploma, quo cavetur securitati nostræ, uti mancum & insufficiens admittere non possumus. Cum enim tres infra scripti Commissarij accedamus, cur duorum tantum in eo fit mentio? Nec si, quod absit, infectis rebus discedendum nobis esset, tutò nobis redire posse cavetur. Proinde uberiori diplomate Illust. vestra securitati nostræ provideat. A nobis verò quid vobis creari possit periculi, prorsus non deprehendimus, cum quadringentorum hominum stipati præsidio Exercitui multorum millium succedamus. Verum Exercitum Reipublicæ uti à deprædatoribus privatorum defensionis, inhibere nostrum non est

est (cum neq; curæ neq; Regimini nostro id competat) nec justam sui, penatum patriæq; defensionem, naturâ ipsâ, more, necessitate dictantibus, improbare possumus. Quandoquidem vos etiam pacis negocium tractaturi, ne nunc quidem, quominùs Exercitus vester in territorijs nostris belli more alimenta quærat, cohibere vultis. Cætera oretenus Dominis Subdelegatis Illust. vestræ exposuimus; Quibus in rebus ne amplius ancipites hæreamus, responsum Illust. vestræ vel per literas, vel per aliquam idoneam personam quamprimùm expectamus. Dabantur Szadoviæ 24. Septembris, Anno 1625.

Adamus Kossobucki Palatinus Mazoviæ, Capitaneus Visnensis.

Janussius Skumin Tisckieviz, Palatinus Mscislaviensis, Braslaviensis, Jurborcensis, Novovolensis Capitaneus.
Lucas Sierakovuski à Bogust, Castellanus Landensis.

Illustri ac Magnifico Dn. Axelio Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellario, & Iudici Provinc. Norland. & Lapp. Libero Baroni in Kimito, Domino de Fyholmen & Tydön, Equiti Aurato.

XLVIII.

Literæ Cancellarij Regni Sueciæ ad Commissarios Polonicos, missæ per Tubicinem, postquam redditi essent Subdelegati, ante intercepti.

INopinata Subdelegatorum nostrorum interceptio animum S. R. Majest. Domini nostri Clementissimi, nonnihil à pacis cogitationibus retraxit, suspicionemque ingeneravit, cuncta nobiscum callidè agi; Eorundem diuturna detentio obstitit, quò minus Illust. vestris maturè responderemus, ordiendorumque tractatuum occasiones evanescerent. Horum verò restitutio facta per Illustrissimum Campiducem vestrum, reflexit S. R. Majest. animum, ut ad priora consilia pacis redire liceret. Plurima quidem à discessu Subdelegatorum nostrorum mutata sunt, ut nunc ad singula, quæ tum acta sunt, nihil sit opus respondere: Declarare tamen animum nostrum de loco congressus placuit, cum Selsburgense Territorium minus arrideat (causam non inquirimus) nec nobis integrum sit justis de causis comparere inter Birsas & Posvoliam; Seligatur per deputatos Subdelegatos nostros congressui nostro locus in tractu Baldunensi, propè Dunam, ut nos Rigam, Illust. vestræ castra sua quæ ad Ekhoviam sunt, à tergo habeant.

Diploma securitatis veluti mancum & insufficiens non admisistis. Esto. Si quid deest, haud difficulter mutari poterit; Cum nullo etiam accepto securitatis Diplomate Illust. vestræ, dum pacis actionibus intentæ sunt, satis à nobis sint tutæ futuræ. Quod verò trium Commissariorum nomina non expresserimus, ignoratio plurium quam

quam duorum fecit, & cæteros sub priorum comitatusq; ipsorum nomine comprehendi putavimus. Nos enim in hisce minutioribus nihil scrupolosè agimus. At ut Securitati nostræ vicissim prospiciatur, id & æquitati & mori gentium consonum putamus; Cumq; & Illust. vestræ Commissarij Reipublicæ Polonæ sint, & Exercitum ejusdem Reipub. (licet curæ regiminiq; ipsarum non subjectum) fateantur, non video, si seriò rem agunt, cur se à præstandâ nobis securitate excusent. Certè violatum in Subdelegatis nostris jus gentium nos excusabit, si quod semel contigit sæpius contingere posse suspicemur, & adversus ista satis nobis caveri cupiamus. Misi has literas in castra Illustrissimi Campiducis vestri, quod ignorem quo loco Illust. vestræ nunc sint, mihiq; significari quantocius rogo, quid Illust. vestræ de hisce sentiant. Dabantur Rigæ, die 16. Octobris, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna R. S. Cancellarius, Iudex Provincialis Norlandiarum & Lapponiæ, Liber Baro in Kimito, Dn. de Fyholmen & Tydôn. Eq. Auratus.

Illustribus & Magnificis Dominis, Serenissimi Regis Regniq; Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ Commissariis.

XLIX.

Literæ Cancellarij Regni Sueciæ ad Principem Radzevilium, post restitutos Subdelegatos.

DEtentio diuturna Subdelegatorum nostrorum summam initio justamq; diffidentiam animis nostris ingeneravit, & cepta tractatuum pacis, ut videbantur, non inepta, exordia interrupit turbavitque: Isthæc verò eorundem restitutio, justa quidem ac debita, confidentiam ingenui candoris vestri nostram mirificè confirmavit; Et ut seriò tractatibus pacis, dum aliqua horum spes ostenditur, inhæreremus, fecit. Etsi igitur intelligam Commissarios vestros Zadovâ discessisse, ac temporis ratio nonnihil priorum consiliorum nostrorum mutaverit, placuit tamen propensionem S. R. Majest. Domini mei Clementissimi, nihil mutatam, de novo declarare, & ignoratione, ubi Commissarij vestri morentur, literas nostras in castra Illust. vestræ transmittere, ut vel ipsa ad Commissarios per suos deferre, vel Tubicinem nostrum isthuc deducere jubeat. Præterea intellexeram antehac, sed cum primis ex relatu Subdelegatorum nostrorum, Illust. vestram valdè affici calamitate ac miserabili conditione captivorum, ideoq; non sentire absonum esse, ut certa ratio imposterum ineatur liberationis eorum, qui vel nunc detinentur, vel ex hoc in manum hostilem incidere poterunt. Dimisi igitur Nobilem Reinholdum Grothausen certâ conditione redeundi in captivitatem, ni vidigum Mäås liberum faceret, tum ut de cæterorum commutatione mentem nostram explicaret. At siquidem res hæc magni momenti est, multorumq; salutem concernit, vellem equidem ad Illustritatem vestram hominem mittere nostratem, cui animum nostrum liberius aperiremus, si modò id Illust. vestræ non ingratum cognoverimus, ipsaq; Subdelegato meo, quem sum missurus, de salvo itu redituq; caverit. Dabantur Rigæ, die 16. Octobris, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna, R. S.
Cancellarius.

Post Scriptum.

Cum Solderbachium dimittere pro isthoc Equite Kithring non sit integrum, remittitur Eques cum Captivo Lithuano Dzuski, ut si placet, horum uterq; liber sit, aut si displicet commutatio, Eques retineatur, & Lithuanus huc remittatur.

L.

Literæ Principis Radzevilij ad Cancellarium Regni Sueciæ.

Literas Dominat. vestræ quæ primo, quæq; postremo de Subdelegatorum aliorumque captivorum liberatione ad nos pervenerunt, ita directas esse intelligo, ut nulla temporis, quo mihi reddebantur, ratione habita, ad solam verborum concertationem me provocare videantur. Illas enim tum ad me dedistis, cum ego explicato in conspectu vestri ad Nitaviam meo Exercitu ansam prælij patente in Campo vobis offerem, & de omnibus ijs quæ vos ad aciem styli ab acie ferri (maturè scilicet post tot immanes injurias innoxijs provincijs Reipub nostræ, plus vinculis induciarum fideique vestræ, quam armis securitatem suam credenti, illatas) retrahere velle videmini, sub summo rerum arbitro decernere optarem. Convenientius enim fuisset illic signa signis, viros viris opponere, & qua virtute fideq; bellum suscceperitis comprobare, quam aculeato scriptionis genere, nobis nihil minus quam papyraceam pugnam expectantibus, negocium facessere. Has verò, id est, postremas non minus criminosis verbis inspersas, tum ad me Dominat. vestra misit, cum jam dimissis Subdelegatis, & aliquot dies inter vos versantibus, nulla vobis tam atrocis expostulationis occasio, sed tota gratiarum actionis pro libertate (non tam debito quam beneficio tribuendâ) superesset. Ego verò licet sentiam qua intentione istæ literæ die 13. Octobris (ut præ se ferunt) scriptæ, hodie demum adjunctâ modestiori Epistolâ mihi reddantur, cum tamen tali certamini imparem me esse malim, ideo non regeram quicquam contra ea, quæ de fidei violatione cum injuria nostra,

stra, Dominat. vestra disserit. Tempora, res, exitus, testantur illa quæ sacro fidei nomine complectuntur, melius à nobis servari & præstari quam à vobis scribi dicive. Et hæc de Subdelegatis. Captivus Zoldelbach, siquidem non restituitur, ideo Dzuski iterum Rigam redit viliori aliquo captivo, si vobis placuerit, permutandus. Quod si Zolderbachius dimittetur, Eques vester Kitring liber esto: Sin secus, ad captivitatem sponte sub fide militari redito. Domini Grothusij liberatione, licet non sit è numero militum meorum, ex animo favemus. Sed cum Vittigius Wdäs, locum tenens Equitum, certis de causis dimitti ad præsens nequeat, alius captivus à vestratibus nominetur, quem in gratiam Domini Grothusij non denegabimus. Quod verò Dominat. vestra pro alijs quoq; captivis per Subdelegatum aliquem agere velit, non gravatim id admittemus, & quemcunq; huic negocio destinaverit, illi eunti redeuntiq; verbo militari securitatem spondemus. Convenit verò æquitati, ne illorum, qui apud nos detinentur, captivorum, æstimium tantoperè efferatur. Diversa enim ratio haberi debet illorum, qui extra militiam pacificè viventes Induciarum spe decepti in manus vestratium inciderunt, ab iis qui castra & signa sicuti in conflictu aliovè militari actu subiere captivitatis sortem. Literas Dominat. vestræ ad Illust. D. D. Commissarios nostros unà cum Tubicine earundem latore transmisimus. Dabantur ex castris 29. Octobris, Anno 1625.

Christophorus Radzevil.

Ad-

Si unius diei spacio tardius meæ literæ ad Dominat. vestram pervenient, hanc sciat causam esse, quod Dn. Grothusius se necessitate Rigam redeundi solutum esse diceret, idq; multis argumentis & promissis vestratium probaret. Ne tamen ulla vobis conquerendi occasio daretur, persuasi ipsi reditum, ea spe de vestra æquitate concepta; Rationes ipsius auditas, & pro illis Captivis, quos Rottmagister Szuarzoff antea pro Dn. Grothusio dimiserat, libertati eum restitutum iri.

Illustri Domino Axelio Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellario, Libero Baroni in Kimitho.

Respon-

LI.

Responsio Cancellarij Regni Sueciæ ad antescriptas literas Principis Radzevilij.

PApyraceam ciere pugnam, neq; moris mihi est, neq; decorum muneri meo; Si tamen is vel scribendi pruritus vel ingenij vanitas me teneret, causâ ab officio meo sumptâ, haud equidem laudem, ast excusationem mererer. Qualis verò illa pugna fuerit, quam Illust. vestra se nobis patente in campo, explicato in conspectu nostri Exercitu suo, obtulisse scribit, ni papyracea intelligatur, non video. Defuitne Illust. vestræ hoc anno pugnandi facultas, dum tanto temporis spacio in latissimis Lithuaniæ campis vagamur? Cur in spacioso Baudschenburgensi agro castra castris non opposuistis? Credo Nitaviense territorium explicandæ aciei commodius fuisse, siquidem altissimo fluvio & pluribus interlabentibus amnibus ab invicem separaremur, ut Illust. vestræ ad nos transeundi nulla inesset cupido, & si nos strato ponte, trajecissemus, ut spacium fuisset receptui. Poteratné nostrum quis divinare, quid Illust. vestra haberet in animo? Cum se in conspectum nostrum nuspiam daret, & castris subinde mutatis, nobis etiam sui quærendi ansam tolleret, vergente nunc anno, & fesso æstivis laboribus milite nostro, ut mirum sit Illust. vestram scribere convenientius fuisse signa signis, viros viris opponere, & fidei virtutisq; nostræ experimentum prælio facere, cum signa vestra hoc quidem anno nostratium nemo nisi capta viderit. Certé per vestrates nocturno tempore exusta unâ alterâve domo Nitaviensi, emissi speculatum pauci Equites nostri, renunciavere delitescere quosdam hostium in arbustis. Nos sane expectavimus die integro, ut sui copiam

darent in laté patentibus campis Nitavienfibus, fed quo confilio animové confpectum noftratium vitaverint, veftra Illuft. dijudicet. Nos ferrone, an ftyli acie certare confueverimus, dicant vicini noftri. Et fi cæteri filuerint, loquatur Refpublica veftra, cum qua tot per annos, nec raró fine ulla literarum commutatione, vario rerum eventu dimicavimus. Verùm de his fatis, nec deerit bello inter nos continuato prælij copia, oblatâ occafione commodâ, fi tantum eius veftram Illuft. teneat defiderium.

Ad cætera de injurijs Reipublicæ veftræ illatis, violata Induciarum fide, excufatâ interceptione Subdelegatorum noftrorum, & id genus alia, quæ verborum aculeis præter æquum Illuft. veftra exaggerat, nunc quidem nihil refpondebo, ne eadem, quæ ante fcripfi, & æftate hac latius cum Illuft. Commiffarijs veftris egi, odiosé repetam; fuo vero tempore, non defuturi fumus veritati, quæ licet obfcuretur, magnorum ingeniorum vi, ac verborum illecebris, opprimi tamen, quin pateat, & fe exferat, non poteft. Atque hæc de illis.

Ad captivorum, qui utrinque detinentur, liberationem, quod attinet, cum Illuft. veftra non videatur ab eius ineundæ certâ ratione aliena, fretus verbo Illuft. veftræ, ablegavi hinc Nobilem & fpectabilem virum Dn. Johannem Uldaricum de Ruël, S. R. Majeft. Dn. mei clementiffimi, Confiliarium Aulicum, Confulemque & Syndicum Regiæ civitatis Rigenfis, Illuft. veftræ non ignotum, illique mentem noftram Illuft. veftræ explicandam aperui de cæterorum captivorum liberatione. Ideoque ut illum audiatis, ac fi conditio placet, re conftitutâ, ut quantocius

tocius expediatis, falvumque & minimè læfum remittatis, rogo. Dabantur in Regia civitate Rigenfi, die 24. Octob. Anno 1625.

Axelius Oxenftierna, R. S.
Cancellarius.

POST SCRIPTUM.

Reinholdum à **Grothausen** *cum conditione redeundi, ni Vitigum* **Maas** / *Locum tenentē præfecti alæ Equitum liberum fecerit, iterum dimifimus, haud exiftimantes tam parvi æftimari veftrates, ut egregios cives veftros, olim etiam bellicis fervitijs de Republica veftra meritos, juftâ permutatione nolitis liberare. Nec eft quod Illuft. veftra fcribat, nobis vitio vertens, hac fpe induciarum deceptos, fi quid eft vitij commiffum, id à republica veftra manat, quæ cum juftam pacem non admitteret, vanâ, & nos & fuos, induciarum fpe injectâ, circumacturam moraturamq; putavit. Remittimus Equitem* **Kittring** / *ac poteftati veftræ fubdimus, cum veftratium captivorum neminem effe intelligamus tanti pretij apud vos, ut eius permutatione liberari poßit, nifi Zolderbachij, quem pro illo dimittere non poffumus.*

 Literæ

LII.

Literæ Principis Radzevilij ad Cancellarium Regni Sueciæ cum Burgravio Rigensi.

QUam abhorream à tali certamine, superioribus indicavi literis. Agnosco enim & patior hoc armorum genere Dominat. vestram pugnaciorem esse. Aciem Exercitus nostri quod ad Nitaviam Dominat. vestra non viderit, quid mirum, si Arce aut Castris sese continuit? Vagantem vestrum Exercitum vidit Lithuania, cum pactis confisa omni militari præsidio destitueretur, nec tamen aut virtuti suæ diffidit, aut sonitum Armorum vestrorum pertimuit. Sed vidit eadem numerosas vestras copias ab exigua nostratium manu ex campis intra castra redactas; Equites multoties cæsos; Captivorū catervas ex varijs excursionibus abductas; Deniq; robora vestra in ipso tumidæ spei æstu ex latissimis suis campis ad adventum mediocris nostri Exercitus, ultra Dunam ad maris, aquarum, & castrorum munimenta sese recipientia vidit. Vexilla ex meo Exercitu nulla cepistis: qui enim ea caperetis, cum ubiq; vestrates meis militibus congressi terga dederint? Signa nostra à nemine vestratiū esse conspecta facilè crederem, nisi tot haberem in manu captivos, qui absq; signis nostris capi non potuerunt. Sed instat tempus quo virtus utriusq; nostrū Deo arbitro cursum suum non penna, sed ferro peragat. Captivorū liberationem cum Subdelegato Dominat. vestræ Deputati mei tractarunt. Quousq; hoc negocium perductum sit, idem exponet. Nos expectabimus vestri animi sententiam, quæ si æquitati nostræq; declarationi consona fuerit, & nos ab utrinq; operæ fructum, & captivi libertatem brevi assecuturi sunt. Dabantur ex Castris die 6. Novembris, Anno 1625.

Christophorus Radzevil.

Illustri Domino Axelio Oxenstierna, Regni Sueciæ Cancellario, Libero Baroni in Kimitho.

LIII.

Literæ fidei à Dn. Cancellario Regni Sveciæ ad Principem RadZevilium, pro Syndico Rigensi de novo misso, datæ.

SUnt in literis Illust. vestræ, quæ tantâ adseveratione status demiror. Verùm, cum hoc armorum genere finiri nequeant controversiæ nostræ, & ineptum sit, vaniq; animi, cum hoste verborum aculeis decertare, hic equidem subsisto. At cum Ablegatus meus sine certo responso de Captivorum nostratium liberatione redierit, nec certi quid de modo redimendorum eorum, quos in futurum capi contigerit, statuerit, visum est eundem, uti Illust. vestræ notissimum, Nobilem atq; Spectabilem, Dominum Johannem Uldaricum de Ruel, S. R. Majest. Consiliarium Aulicum, Consulemq; & Syndicum civitatis Regiæ Rigensis de novo ad vos ablegare, ut de utroq; certam animi vestri sententiam exquirat, siq; captivis in futurum minus prospici necesse putet Illustritas vestra, ut nihilominus ijs qui nunc tenentur captivi, spes suæ liberationis affulgeat, vel permutatione, aut si vestrates tam vili æstimantur, interveniente lytro. De his uberius aget dictus Dominus Uldaricus, quem & benevolè audiri ab Illust. vestra, & quantocius salvum remitti bono cum responso speramus; Confisi illum vi salvi conductus, prioribus literis vestris concessi, & inviolatum apud vos, & in itu redituq; salvum futurum. Dabantur in Regia civitate Rigensi, die 30. Octobris, Anno 1625.

Axelius Oxenstierna R. Sueciæ Cancellarius.

Illustrissimo Principi ac Domino, Domino Christophoro Radzevil, Duci Birsarum & Dubincorum, S. R. Imperij Principi, Exercituumque Magni Ducatus Lithuaniæ Duci Campestri.

LIV.

Responsio Palatini Mscislaviensis, absentibus Collegis suis, ad Dn. Cancellarij Regni Sueciæ literas data.

CUm hic in Samogitia quædam ad Tractatus vobiscum reassumendos necessaria præstolarer, jamjam in reditu ad limites Churlandiæ equum ascensuro supervenit Tubicen, ab Illust. vestra ad nos Commissarios ablegatus cum literis; Sed quod & prioribus per quendam captivum datis, non responderimus, discessui collegarum meorum imputandum est. Ij enim cum deprehendissent (quod etiam jam & antea abundè patebat) vos non eo, quo par erat, candore, imò plus quam callidè nobiscum egisse, semperq; pacis prætextu hostilia molitos fuisse, postq; deditas Birzas Bouskum oppugnasse & expugnasse, detestati hanc vestram infidam pacis licitationem retrò abiere: Mihi etiam rebus sic stantibus rescribere visum non est. Præterea vestri aculeati morsus effecere, ut responsum dare meritò dedignatus sim, cum ob detentionem per errorem, & ipsorummet insolentium Subdelegatorum vestrorum (non tamen à nostri comitatus hominibus) nos jura Gentium violasse, contraq; omne fas, & nefariè illos invasisse, spoliasse, inq; servitutem abduxisse, verbis his indignis, tàm protervè, ne quid amplius dolor exprimat, nos insimulaveritis. Verum, errore tum non discusso, req; non examinata, imò vobis pro certo constitisse ex literis vestris, ad Illust. Ratzevilium datis, potuit (quod & nunc Subdelegatorum vestrorum confessione liquet) citra jussum, voluntatem scitumq; nostrum eos detentos fuisse, in nos tam acerbè involandi rationem non videbam. Quæ Gens tam Barbara, vel immanissimo in nos flagrans

flagrans odio, ut nobis ejus conditionis, status & reputationis, gentiq; nostræ tam audacter, tamque injustè & immeritò hæc obijcere auderet? Caruisse vos oportuit omni vitio in nos paratos hæc vana scribere, vobis, non nostræ genti perfidia, nefarius processus, violatio juris gentium obijcienda, imò & deducenda est, & esse potest, debeatq;: Qui ruptis plusquam Gordio, fidei Christianæ, verbique militaris nodo, commodatis roboratisque Inducijs, non denunciato indictoque bello, intermissa utrinque clarigatione, arces Livoniæ Churlandiæque, imò & Magni Ducatus Lithuaniæ (ne singula à vobis fœdè patrata enumerem) vi vel arte occupastis. Lappones vestros ea patraturos nemo crederet, quos non scripto, imò nè verbo quidem firmatos, sed in absentia tacito quodam consensu initos contractus arctè tenere, tam fama ferat quam etiam experientia illis commercantium testetur; vos, qui Christianos se esse profitemini, sancta & nullatenus violandâ fide stabilitas Inducias, pactaque inita violasse laudi non pudori ducitis; verborumque involucris temerata fidei fucum obducere conamini: cum inani, imò impia spe, nefariè illato bello, pacem nobis extorquere præsumpsisse vos asseritis, & injustè sceptra parta, injustiori firmare bello, contra fas & æquum, divina humanaque jura satagitis.

Hisce verò nunc per Tubicinem Illust. vestræ literis respondere paucis libuit. Reflexum ad pacis Tractatus animum vestri Principalis significat Illust. vestra, cum nostrum adeò exulceratum esse conijcere possit, ut nullam pacis (perfidè contra nos bellantium injuria lacessiti) mentionem facere sustineat. Sed & pacis stabiliendæ, ad quam nos nunc quoq; invitatis, quod fulcrum vel basis? Per quæ enim Numina jur aturi estis, cum fidem Christianam,

nam, verbumq; militare, unicum inter Christianos populos vinculum (quibus præteritæ Induciæ firmatæ erant) fefelleritis. Locum nunc tractatibus pacis optioni nostræ offertis; Sed cum in eo ad Nitaviam à vobis designato non comparueritis, quæ jam spes loci alterius residua? Accesseram enim unà cum Illust. Principe Ratzevilio vobiscum tractaturus, nec quidquam ad eos Tractatus præter animum vobis defuisse deprehendimus, & præproperus Gustavi vestri inde abitus, occasionem stabiliendæ pacis, quam arma ferebant, ademit. Locum ergo in Livonia, quem sors & occasio præbituræ sunt, deinceps habituri estis. Diploma securitatis nostræ in manibus nostris est, vobis verò stylo ferreo exarandum. Pacis autem spem eam relinquere vobis possumus, quæ supplicibus à S. R. Poloniæ, Sueciæq; Majestate, Domino nostro Clementissimo, impetrari poterit. Plura in collegarum absentia scribere supersedeo; verum priorum literarum vestrarum mala carmina malo versu pensasse oportuit. Demum moneo ne amplius tam pungentibus literarum vestrarum verbis impetamur, sed si quid scribere ad nos volueritis, honorificè & decentius fecisse vobis proderit. Dabantur Jorgeburgi in Samogitia die 6. Novembris, Anno 1625.

Janußius Skumin Tisckievitz, Palatinus Mscislaviensis, Braslaviensis, Jurborcensis, Novovolensis Capitaneus.

2

Gesch. Polen
134

B.

